

I. N. D. N. I. C.  
DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
SPIRITVVALI  
FIDELIVM  
VNCTIONE,

*Ex 1. Job. 11, 20.*

(Und ihr habt die Salbung von dem  
der heilig ist / und wisset alles.)

QVAM  
IN CELEBERR. ATHEN. GEDANENSIS  
AUDITORIO MAXIMO

PRAESIDE

DN. AEGIDIO Strauch /

SS. Theol. Prof. Publ. & Rectore, itemque  
ad SS. Trinit. Pastore,

AD SOLEMNIOREM DISQVIVISIONEM

EXHIBET

JOHANNES Gald /

Gedanenf.

A. C. M DC LXXII. D. XIX. JVLII.

VITEMBERGAE, RECUSA

LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINI 1719. (6)

~~72.~~

a. CXVIII. B.

Coll. diss. A  
118, 6





## PROOEMIUM.

**A**tenta procul dubio consideratione dignissima sunt, quae Exod. XXX, 22. seqq. commemorantur. Ubi mandasse Jehovam Mosi legimus, ut, confecto e myrrha præstantissima Cinamomo, Calamo, Casia, & oleo olivarum unguento sacro, non Tabernaculum modo Testimonii, Arcam Testamenti, Mensam cum vasis, Candelabrum & Utenilia ejus, Altaria Thymiamatis & Holocausti atque universam suppellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet; sed & Aaronem ejusque filios eodem inungeret, quo Sacerdotali hac ratione Officio inaugurarentur. Id quod etiam Vir DEI, divino obtemperans mandato, diligentissime expedivit, sicut Unctio eadem Levit. VIII, 10. seqq. fusius describitur. Inprimis autem observandum circa eandem illud venit, quod Moses Unguentum Sacrum tanta copia in Aaronem & ubertate effuderit, ut ab ipso Capitis vertice non in Barbam tantum, sed & Oram Vestimenti ejus descenderet, uti Spiritus S. exsertis verbis (a) testatur, ita ut suavissimus redolentis Odor Balsami in Tabernaculo Testimonii nusquam non perciperetur.

Jam vero Unguenti (b) Præparationem, & quid singulis, ut vocantur, ingredientibus (c) mystice denotatum fuerit, ut & (d) Ungendi modum ac ritum diligentius investigare, nostri in præ-

A 2

(a) Psal. CXXXIII, 2. (b) Hanc accuratissime ex Antiquitate Hebraica descripsit Vir Cl. Guil. Schickardus in Jure Regio Hebr pag. 22. (c) Vid. Tract. D. Waltheri de Unct. Christi §. 9. (d) Confer Schindl. Lex. Pentaglott fol. 1043. itemque Lorini Comment. in Levit, VIII, 12. & Simeonis de Muis Comment. in Psal. CXXXIII.

sentiarum non est instituti. Illud potius agendum nobis esse hac vice arbitramur, ut, Aaronis præcipue quid significaverit Unctio, paucis indicemus.

Quemadmodum autem Aaronem typum fuisse Servatoris nostri Opt. Max. Epistola ad Hebr. evidentissime (e) testatur: ita eiusdem quoque Unctio (f) Redemptoris nostri Unctionem sine dubio præfiguravit, quando idem non visibiliter, sed invisibiliter, non secundum (g) divinam, sed secundum humanam naturam, cum omni redundantia, (h) ἔκ ἐκμέτρως, oleo non externo, sed interno & spirituali, h. e. Spiritu Sancto cum immensa divinorum Ἀυχημάτων plenitudine (i) unctus & delibutus fuit. Unde Cognomen etiam accepit, ut Hbr. מִשְׁחָה i. e. Unctus (k), & cum adjectione יהוה יְשֻׁחָה Unctus DEI (l), Græcis χριστός appellaretur.

Præsertim vero probe hic considerandum est, quod velut Unguentum, in caput Aaronis effusum, in barbam, imo rotam ejus vestem descendens odore ubique omnia suavolentissimo implevit: ita non Caput tantum nostrum, Christus, Oleo Lætitiae unctus sit, sed & Unguentum istud in Corpus suum Mysticum, i. e. Ecclesiam Christianam, cœtum nempe fidelium, effuderit. Ex illius enim plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia (m). Unde Uncti etiam Domini & Christiani appellamur. Quo de pluribus in Tractatione ipsa agendum erit.

O vero maximam fidelium dignitatem! O Honorem incomparabilem, & inæstimabile nunquam id promerentibus collatum beneficium! Nonne nostrum erit merito, ut, cum plura nequeamus, jugi & perenni Meditatione id ipsum recolentes debitas pia veneratione gratias erga Servatorem nostrum devotissime contestemur?

Quam-

(e) Cap. V, 4. (f) Quot modis præterea Christum præfiguraverit, vid. VValther, cit. loc. §: 68. & confer. Comparatio Aaronis & Christi apud Sibelium in Psal. CXXXIII. Conc. VIII. (g) Secundum hanc non unctus, sed ungens potius, cum Augustin. in Psal. XLIV. & Damascen. lib. III. de Orthod. Fide cap. III. imo ipsa materia hujus unctiois sanctæ cum Sanctis Patribus dicitur. Confer. Dorsch. Pentadec. Disp. IV. §. 19. (h) Psal. XLV, 8. Job. III, 34. Ebr. I, 9. Act. X, 38. (i) Vid. VValther, cit. loc. §: 29. seqq. (k) Vid. apud Ravanell. Biblioth. Sacre. part. I. sub nomine *Christus*. (l) Psal. II, 2; Luc. II, 26. (m) Job. I, 19.

## FIDELIVM VNCTIONE.

Quamobrem operæ nos facturos pretium existimavimus, si Oraculum Johannicum ex 1. Joh. II, 20. ( Vos Unctionem accepistis a Sancto illo, & nostis omnia, ) aliquanto pressius expendere mus.

Ne autem ἀτάκτως & συγκεχυμένως in tam arduo versari negotio videamur, tractationem totam certis Capitibus absolvemus. Quorum

*PRIMUM* continebit, præmissis Textu Originali, Versionum præcipuarum ἐπαρίθμησιν.

*SECUNDVM* indicabit Textus præsentis Συναΐθειαν & Ἀνάσυσιν.

*TERTIVM* exhibebit ejusdem Theologicam ἐξήγησιν.

*QUARTVM* denique monstrabit Quæstionum dubiarum, circa Dictum præsens moveri solitarum, Διάλυσιν.

Tu vero CHRISTE JESU, in quo omnes sapientiæ thesauri sunt absconditi, pelle operas mentis nostræ tenebras, & intellectum nostrum Spiritu tuo Sancto illumina, ut illius subsidio veritatem indagare, falsitatem vero solidi profligare valeamus! Amen!

### CAPUT I.

In quo Textus Originalis cum Classicis  
Versionibus proponitur.

*Textus Originalis.*

Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ Ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα.

*Metaphrasis Syriaca.*

וְאַתֶּם מְשֻׁחִים מִן קִדְשׁוֹ וְיָדַעְתֶּם כָּל דָּבָר  
לְכָל מְשֻׁחִים

Λ 3

Version

*Versio Tremellii & Trostii Textus Syriaci.*

At vobis unctio est ex Sancto, & discernitis omnem hominem.

*Versio Vulgata.*

Sed vos unctionem habetis a Sancto, & nostis omnia.

*Versio Desid. Erasmi.*

Sed vos unctionem habetis a Sancto illo, & nostis omnia.

*Metaphrasis Bezae.*

At vos unctionem habetis a Sancto illo profectam, & nostis omnia.

*Versio Lutheri.*

Und ihr habt die Salbung von dem, der heilig ist, und wisset alles.

*Versio Dietenbergii, Moguntina & Piscatoris.*

Aber ihr habt die Salbung von dem Heiligen, und wisset alles.

*Versio Belgica.*

Doch ghy hebt de Salvinghe van den Heyligen, ende ghy vvet alle dingen.

## CAPUT II.

Textus cohærentiam cum Antecedentibus, & Analysis seu Resolutionem Logicam proponens.

Cum enucleandis S. Scripturæ dictis plurimum lucis afferat, & fructuosissime adminiculetur sedulum contextus scrutinium (n), antecedentium nempe consequentiumque collationis operæ jacturam haud fecerimus, si in ipso quasi limine circa præsens Dictum, connexion-

(n) Vid. Augustin. Lib. II. de Doctrina Christi cap. XXXI.

nexionem ejusdem cum antecedentibus paucis inquiramus: præsertim cum ipsemet Apostolus cohærere hæc verba cum præcedentibus significaverit adjectione copulæ καί, quam, more Hebræorum, pro adversativa ἀλλά poni, Viri docti, comprobantibus idem plerisque Versionibus, observant. Et Socinus (o) quoque, initio licet in re manifesta obscuritatem somniet, *incertum esse, an aliter olim graecæ legerint, atque hodie legatur*, asserens; mox tamen adjicit: *Certum est ex Hebraica lingua usu, simplicem copulam saepe pro adversativa poni, ut quidem hic fieri debere, omnes animadverterunt.* Indicaverat ergo in præcedentibus Apostolus, multos jam exiisse in mundum Anti-Christos, qui, insidiantes fidelibus, illaqueare eosdem falsæ doctrinæ rebus conarentur, adeoque sollicitè cavendum esse Orthodoxis, ne ab Hæresiarchis illis deciperentur. At objicere forsan potuissent: Qui nos cognitos habere Anti-Christos poterimus, cum & ipsi, nomen Christi & Scripturæ auctoritatem jactantes, nihil minus velint, quam pro Anti-Christis haberi? Ostendit ergo Apostolus verbis præsentibus, quo magistro possint illos dignoscere, cum ait: At vos uncti-  
onem &c. omnia. q. d. Non usque adeo difficile esse vobis poterit cavere falsos Doctores, siquidem a Christo Spiritum Sanctum accepistis, quo uncti & informati nostis omnia, quæ ad salutarem DEI cognitionem pertinent. Hujus sanctissimæ Unctionis ductum & magisterium si sequamini, & secundum veritatis, quam cognovistis, Regulam perversa Hæreticorum dogmata examinetis, eadem a veritate discernere, promptum erit. Qui enim veritatem probe jam perspectam habent, quidni, ab illa quicquid dissidet, distinguere valerent? Atque hoc modo simul eos acuit, dum intelligentiam ipsis & peritiam tribuit, ut eo attentius ea, de quibus scriberet, considerantes, scintillas Spiritus, quo plenius in illis fulgor luceat, excitarent. Eodem modo Paulus quoque Romanis Rom. XV, 14. *quod aliis monendis sint pares atque idonei*, sapientiam concedit. Neque tamen adulatorie sic loquuntur Apostoli, sed prudenter cavent, ne ab ullo hominum genere respuatur ipsorum Doctrina, cum non rudibus modo, sed in Schola Domini jam eruditis congruere & utilem esse denunciant: munia pariter boni & prudentis Doctoris observan-  
tes,

(o) Comment. in h. l.

tes, cujus est, nihil intermittere, quo audentiam sibi apud omnes facere tanto promptiorem possit. Ex quibus omnibus planum evadit, qua occasione, & quo scopo Aphorismus præsens ab Apostolo sit consignatus. Atque inde haud difficulter etiam, quo de agatur in hoc Dicto, licet animadvertere, nempe de Spirituali Fidelium Unctione. De qua in subsequentibus acturi, ut tanto concinnius fiant omnia, certo ordine procedemus. Considerabimus ergo I. *Unctionem, seu Unguentum singularissimum*; II. *Ungentem, seu Unctionis principium*; III. *Unctos, seu Unctionis subjectum*; IV. *denique Salutarem unctionis fructum.*

### CAPUT III.

Aphorismi præsentis Theologiam exhibens  
Exegesis.

#### DE PRIMO.

##### §. I.

**X**ρισμα ἔχετε, *Unctionem habetis*) Sextuplicis præsertim meminit Scriptura Unctionis, ad quam referri haud incommode potest, quicquid uspiam memoratu dignum de ea adducitur.

§. 2. (1.) *Physicæ & Naturalis*, quæ alias etiam *Communis* dicitur, qua ungebantur pro Orientalium more non solum defunctorum corpora, Gen. L, 2. 3. 26. Marc. XVI, 1. sed & viventes (p) in honorem festivitatis institutæ, aut lætitiæ causa, præsertim in conviviis, uti patet ex Ruth. III, 3. 2. Sam. XIV, 2. 2. Reg. IV, 2. Esth. II, 12. Judith. X, 3. &c. XVI, 10. Luc. VII, 38. & 46. sed nec prætereundum 2. Sam. XII, 20. ubi unxisse semetipsum perhibetur David, postquam obiisse filiolum ex adulterio prognatum cognovisset. Per quam Unctionem Flacius (q) lautiores vitæ rationem intelligi arbitratur. Hinc Psal. CIV, 15. *facies dicitur illustrari oleo*, quippe quod DEUS condidit ad nitorem alacritatemque corporis, qui erat effectus olei. Oleum namque & cumprimis Balsamum cujus pretium, judice Plinio (r), duplo

(p) Confer. Hieronym. in cap. VI. Matth. (q) In Clav. Script. S. part. I. fol. 1295.

(r) Lib. XII. Histor. Natur. cap. V.



duplo superat argentum, Φῶλος αὐξητικὸν, πόνων θεραπευτικὸν, καμῶ-  
των ἀπαλλακτικὸν, τὸ τῶν ἐπαλειψαμένων Φαιδρῶποιόν, Φῶλος δίκην ἀπο-  
σίμβον τῆς μαρμαριγῆς, διαυγῆς καὶ λαμπρῶν τῶ αὐτῶ χρωμένων ἀπο-  
τελῶν τὴν ὄψιν, uti Eusebius (s) testatur.

§. 3. (2) *Ceremonialis & Levitica*, qua res ad divinum cultum  
spectantes ungebantur. Ita Jacob unxit Statuam, quam erexerat  
in loco, ubi DEUS ei apparuerat, Gen. XXVIII, 18. XXXI, 13. XXXV, 14.  
Id quod non sine mysterio factum esse, Gregorius Nazianzenus (t)  
indicat, ut significaretur Lapis Salutis nostræ causa unctus, i. e. Chri-  
stus. Sic de unctioe Tabernaculi fœderis cum omnibus in illo con-  
tentis, rebus nempe ad Sacrificia pertinentibus, agitur Exod. XXX, 25.  
26. XL, 9. Levit. VIII, 10. &c.

§. 4. (3) *Inauguralis*, qua sublimi cuidam officio consecra-  
bantur in V. T. homines, ob id *Uncti Domini* vocati, Psal. CV, 15. 1.  
Sam. XXIV, 11. & passim alibi. Erant illi I. SACERDOTES. Ita Aa-  
ron & filii ejus uncti fuerunt, Exod. XXVIII, 41. XXIX, 7. 29. XXX,  
30. XL, 13. Levit. VII, 35. 36. VIII, 12. X, 7. Num. III, 3. XVIII, 8. Cæte-  
rum *Summum* hic *Sacerdotem* intelligimus, quem solum Solemni un-  
ctione unctum esse legimus. Nam unctioe illa Aaronis filiorum-  
que Exod. XXX, 30. XL, 15. totus Sacerdotum ordo fuit consecratus,  
ut propterea non fuerit necesse, quod in minoribus illa Sacerdoti-  
bus repeteretur. Non male proinde observat Ravanellus (u) per  
*Sacerdotem Unctum* in Sacris ubique *summum Sacerdotem* intelligi, ve-  
lut Levit. IV, 3. 5. 16. VI, 20. 22. XVI, 32. XXI, 10. 12. Num. XXXV, 25.  
1. Paralip. XXX, 22. Psal. CXXXIII, 2. II. PROPHETÆ, utut rara Un-  
ctionis eorum in Sacris fiat mentio, expressus tamen locus, nec præ-  
ter eum alius est 1. Reg. XIX, 16. ubi Eliam Prophetam DEUS jubet:  
*Eliseum filium Saphat Abel-Mecholanum unges (ungito) in Prophetam loco  
tui.* Testatur etiam de Unctioe hac Prophetarum prolixè (w)  
Remigius. Rara tamen Prophetarum Unctioe in Sacris mentio an-  
sam præbuit nonnullis Unctioem referendi tantum ad Reges & Sa-  
cerdotes. Unde D. Glassius (x); *Quidam scribit, personis unctis addunt  
etiam Prophetas ob locum 1. Reg. XIX, 16. Et Elisam (inquit ad Eliam Je-  
boab)*

(s) Lib. IV. de Præparat. Evangel. (t) Orat. XXXIV. quæ est II. de Theolog. (u)  
Biblioth. Sacr. part. II. pag. m. 1496. col. 2. (vv) In Explan. Epist. ad Hebr. in cap.  
1, 9. (x) Vid. Exeges. Evangel. & Epist. Festo Petri & Pauli pag. m. 1781. confer  
Rivetum Comment. in Exod. XXX, 31.

bova) מָשַׁח unges in Prophetam pro te. Sed cum nullus alius Scripturae locus extet, quo unctio Prophetarum demonstrari possit: & in mandati divini executione non unctio Elisæ, sed palli Eliæ superinjectionis fiat mentio, vers. 19. igitur rectius forsitan dicetur, verbum מָשַׁח tibi per antanaclasin usurpari pro constituere, ordinare, inaugurare, ut & alias accipitur per metonymiam. Quin & Hasael, Rex Syria, (quem itidem ungere jubetur Elias,) non est vere & externe unctus, alienigena cum fuerit; sed saltem per Eliseum Rex Syria prædictus declaratusque, 2. Reg. VIII, 12. Hactenus D. Glassius. Cujus sententiæ multi etiam fuisse ex Patribus videntur, inter quos Augustinus (y): Nunc omnes unguuntur, inquit, spirituali scil. oleo Spiritus, quod tunc Regibus tantum & Sacerdotibus fiebat. Et ante eum Lactantius (z): Erat Judæis ante præceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent illi, qui vocabantur ad Sacerdotium, vel ad Regnum. Aliorum brevitatis causa (a) recitare verba omitemus. Enimvero cum Controversiam istam dirimere nostri non sit h. l. instituti, vulgarem interim sententiam, (ut nimirum Prophetici quoque Christi muneris typus extet non minus, quam reliquorum duorum,) hac vice retinebimus. III. REGES. Inter quos primus Saul, (teste inter alios (b) Augustino,) cujus Samuel, lenticula olei accepta, perfudit caput, 1. Sam. X, 1. XV, 1. Hunc sequuntur David, Salomo, Jehu, Joas, &c. Quo factum, ut Unctus DEI diceretur Saul, 1. Sam. XII, 3. 5. XXIV, 7. II. XXVI, 9. II. 16. 23. & Sam. I, 14. ac eum lecuti Reges, David, 2. Sam. XIX, 21. XXII, 51. Salomon, 1. Sam. II, 35. Psal. CXXXII, 10. Imo Cyrus quoque id nominis obtinuit, ut Unctus DEi Esa. XLV, 1. vocaretur, sive, quia ad imitationem Israelitarum Perfici etiam Reges inungebantur, sive, quia fidelem fuisse, adeoque dimissionem populi Judaici & restitutionem Regni ac Sacerdotii, quæ unctioe consecrabantur, fidei ipsius fructum extitisse, cum B. Luthero nostro (c) statuendum erit. Cæterum non, quia DEi uncti dicuntur Reges, DEus etiam immediate hoc unctioe munus exegit, sed usus in eo est aliorum ministerio.

(y) Consens. Evang. Lib. II, cap. I. confer Enarrat. in Psal. XXVI. Tom. VIII. Opp. (z) Instit. Divin. Lib. IV, cap. VII. pag. 53. edit. Paris. Anno, 1635. (a) Confer, Honorius Augustodun. de Antiqu. Rit. Miss. Lib. III, cap. LXXXI. itemque Polyd. Virgil. de Inventor. Rerum Lib. V, cap. III, sub initium, &c. (b) Lib. XVII. de Civ. DEI cap. X. & Lib. de Consens. Evang. cap. XIII. (c) Comment. super h. l. Tom. III, Jen. Lat.

nisterio. Unde primam unctiōnem Samueli Prophetæ mandat, 1. Sam. IX, 16. de qua (d) Tertullianus:

*Mirificus Samuel, cui Reges ungere primum*

*Præceptum, dare chrisma, viros ostendere Christos.*

Idem vero post Samuelem executi sunt Sacerdotes & Prophetæ, ut 1. Reg. I, 34. 39. Zadocus in Salomone ungerendo, & in ungerendo Joaso Summus item Sacerdos, 2. Paralip. XXIII, 11. & Elias Prophetæ in Hazaële ungerendo, 1. Reg. XIX, 15. & in ungerendo Jehu Prophetarum filii, 2. Reg. IX, 11. h. e. eorum discipuli. Ita enim eos recte denominant Chald. & Kimchius 2. Reg. II, 3. nimirum תַּלְמִידֵי נְבִיאָיו. Nam qui docet aliquem, eumque iuvat, eo respectu, quo ipsum in aliqua sententia iuvat, est quasi genuisset ipsum, quatenus nempe ille opinionis seu sententiæ communicatæ autor est, docente Rambam (e). Observandum adhuc etiam venit discrimen ordinariæ & extraordinariæ unctiōnis: quarum illam sibi vendicavit Sacerdos Maximus in ungerendis manifestis Regni successoribus: hanc Prophetæ exercuerunt, cum dubius & occultus esset Regni successor. Quod vero Laicis etiam tribui videatur ungerendi Reges suos officium, 2. Sam. II, 4. V, 3. ejus hæc est ratio, non quod ipsi officium illud executi fuerint, sed quia per alios, Sacerdotes & Prophetas, idem faciebant, consensu suo factam unctiōnem approbantes. Solent enim activa verba sæpius ei etiam tribui, qui actionem non ipse perficit, interim vel procurat, vel approbat, observante (f) Glassio.

§. 5. (4) *Majestatica & singularis*, a qua Salvator noster Opt. Max. nomen CHRISTI habet.

§. 6. (5) *Apostolica & Miraculosa*, qua in primitiva Ecclesia ægro-  
tantes, DEo singulariter & temporaliter cooperante, miraculose sanitate restituebantur, Marc. VI, 13. Jac. V, 14. Quam nihil cum superstitione unctiōne extrema Papistarum habere commercii, passim a Theologis Orthodoxis ad oculum usque demonstratum fuit.

§. 7. (6) *Gratuita & spiritualis*, qua gratuita dona, ungerente Sacro DEI Spiritu, & nos ad Regium, Propheticum atque Sacerdotale officium inaugurante, fidelibus conferuntur. Quemadmodum enim materiali oleo Reges, Sacerdotes & Prophetæ in V. T.

B. 2

in-

(d) Lib. III. Carm. contra Marcion. cap. V. (e) In Mor. Neboch Lib. I. cap. VII. (f) Philos. Sacr. Lib. III. Tract. III. Can. XXII. n. 2. 3.

inungebantur, & hac ratione ad officium, quod ipsis committebatur, inaugurabantur: ita fideles per Spiritus S. gratiam, tanquam mysticum oleum, inunguntur, & ad officium suum instruuntur, cum *Christus eos Reges & Sacerdotes DEO & Patri suo facit*, sicut Apostolus Apoc. I, 6. loquitur. Unguntur itaque in Reges, ut pugnare adversus peccata, mundum, diabolum, imo vincere hostes eosdem & superare valeant, 1. Joh. V, 4. Unguntur in Sacerdotes, ut spiritualia DEO sacrificia offerant, qualia describuntur Psal. IV, 6. L, 14. LI, 19. CXLI, 5. Rom. VI, 13. XII, 1. XV, 16. Philip. IV, 18. 1. Petr. II, 5. Ebr. XIII, 15. Apoc. V, 8. &c. Unguntur etiam in Prophetas, ut sensum Scripturæ S. assequi, eundemque suppeditare etiam aliis queant, id quod voce *prophetandi* denotatur Joel. II, 28. Act. II, 17. conf. Rom. XII, 6. 1. Cor. XIV, 3. 39. 1. Petr. IV, 10. II. 2. Petr. I, 20. &c.

§. 8. His ita præcognitis, videndum erit, quanam de Unctione in Dictione præsentis agat Apostolus. Non naturalem, non Leviticam, non inauguralem, non miraculosam, nec majestaticam denique Unctionem hic intelligi, adeo e verbis ipsis manifestum est, ut stolidissimus esset, qui dubitandum de eo censeret.

§. 9. E Pontificiis nonnulli (g) *externam & corporalem* in Baptismo & Confirmatione imprimis ab ipsis adhiberi solitam hic denotari arbitrantur. Cum quibus facere etiam Novatores quidam Pseudo-Lutherani religioni sibi non ducunt. Enimvero toto eos cælo aberrare, peculiari Quæstione in Cap. nostro IV. ostensuri sumus. Præterea a diversis diversimode Unctionem hanc exponi, Cornel. a Lapide observavit, dum alii Christianismum; alii fidem Christianam; alii Gratiam; alii Donum sapientiæ & intellectus; alii denique inspirationem Spiritus S. per eandem denotari arbitrantur. Quorum sententias, cum nec analogiæ fidei, nec sibi ipsis contrariæ entur, adeoque conciliari haud incommode possint, non penitus rejicimus: Unum tamen propius ad scopum Textus & mentem Apostoli accedere, quam alteram ex iis, quæ mox adjicienda a nobis erunt, animadvertere licebit. Socinus per Unctionem hanc sine dubio *divinum beneficium* cognoscendi ipsas res divinas, quatenus

(g) Vid. Cornel. a Lapide in h. l. & Bellarm. Lib. II. de Sacram. Confirmat. cap. VIII.

homi.

homini opus est, indicari censet. Nec repugnaret nobis etiam hæc Socini assertio, nisi Dona Spiritus S. & ipsam Spiritus S. substantiam impie & contra Scripturam S. divelleret, Spiritum S. peculiarem Trinitatis personam esse, inficiando. Quem execrabilem Socini errorem fufius e S. Scriptura refutare, cum idem a Theologis Orthodoxis, Gerharo (h), & aliis alibi præstitum sit, nostri non est h. l. instituti. Quod autem inferius deinde, ubi *vers. 27.* explicat, Socino videatur, posse etiam simpliciter unktionis metaphora significari divinam gratiam & beneficia, id nobis nimis h. l. generale videtur.

§. 10. Nos itaque *internam & spiritualem* Unktionem hic intelligi debere, persuasi penitus sumus, quæ per verbum DEI pure prædicatum & Sacramenta legitime administrata hominibus conferatur. Neque enim DEVS *ἐν θρονασικῶς*, sed *ἀκρῶς καὶ ὀργανικῶς* nobiscum agit. Proinde, ut paucis rem absolvamus, hunc esse verborum sensum arbitramur, q. d. Johannes: Accepistis Chrisma Spiritus S. qui non modo salutis vestræ arrhabo est, nec tantum de adoptione vestra, qua in filiorum DEI numerum recepti estis, testatur: sed & animos vestros *ἐμμέσως*, per verbum nempe DEI, quod audistis, *vers. 24.* ita informat, mentisque vestræ oculos illuminat, ut verum a falso discernere, & quæ salutem sunt obnoxia, perversa nimirum Anti-Christorum dogmata cavere haud difficulter valeatis. Equibus simul non tam de donis Spiritus S. extraordinariis & ministrantibus, quam de ordinariis & sanctificantibus hic Apostolum loqui cognoscitur, idemque, ubi ad Membrum tertium pervenerimus, etiam clarius elucescet.

§. 11. Atque hæc nostra de *spirituali & interna* Unktionem paucis explicata sententia firmis rationibus I. e. contextu ipso demonstrari potest. (1) Enim Apostolus *omnes fideles* alloquitur, uti patet ex præcedentibus *vers. 13. 14.* at externo illos oleo inunctos fuisse, demonstrari neutiquam poterit, cum ungenti ritum post Apostolorum demum tempora ab Ecclesia usurpatum fuisse constet. Recte Ephraim Syrus (i): *Populus, qui ante nos erat, cornu olei*

R. 3

(h) Loc. de Spiritu S. cap. V. & in Disput. Academ. part. II. Disp. II. super Dict. 1. Joh. V, 7. §. 5. pag. 1363. (i) In Tract. de Sacerdotio.

olei ferens ad sacerdotium promovebatur : nos vero servi inutiles DEi benedicti non cornu, non oleum sensibile sumimus ; sed ipse, qui est brachium excelsum atque tremendum, ex cælo descendens suum nobis per impositionem manuum donat Spiritum, qui ignis instar venit super Apostolos. Hinc patet, Ephræmi tempore oleo materiali non fuisse delibatos Ecclesiæ Ministros, nedum fideles omnes. Et M. Antonius de Dominis (k) chrismationum memoriam nullam ante Tertulliani tempora authenticam esse confirmat. (2) *Unctionem* illam fideles habere a Sancto illo asserit. At nec Christum immediate, nec mediate per Apostolos quenquam unxisse Externo oleo in Scriptura S. uspiam deprehendimus. Per Impositionem manuum Spiritum S. fidelibus contulisse Apostolos legimus, per Unctionem autem factum id esse nullibi dicitur. Becanus quidem Unctionem factam esse cum impositione manuum asserit, sed ineptire eundem Crocius in Anti-Becano suo (l) commonstravit. (3) *Unctionem illam omnia docere* indicat vers. 27. Unctio autem externa quam plane nihil doceat, eadem apud Pontificios ante & post unctionem ignorantia satis prodit. (4) *Unctionem eandem manere infidelibus* dicit vers. 27. unde e contrario externa actus est transitorius ; ineptum Pontificiorum de Characterè indelibili somnium passim a Theologis Orthodoxis satis fuit refutatum, quos vel recensendo adducere longum nimis, nec hujus loci foret. His ita ex ipsomet Textu breviter evisceratis, non nisi de interna & spirituali unctioe hic sermonem esse sole clarius elucescit. Atque idem confirmant II. Loca Scripturæ S. parallela. Ita de Salvatore nostro Opt. Max. Psal. XLV, 8. dicitur : *quod unxerit ipsum DEus oleo lætitiæ præ consortibus ejus.* Illa autem unctioe quid denotetur, ipsemet Redemptor noster expresse indicavit Esa. LXI, 1. his verbis : *Spiritus DEi super me, eo quod me unxerit Dominus, ad annunciandum mansuetis misit me, &c.* Et Petrus ad Cornelium centurionem Act. X, 38. ait : *Jesum a Nazareth unxit DEus Spiritu S. & virtute.* Nihil vero aliud fidelium Unctioe denotari, liquido in primis apparet e 2. Cor. I, 21. 22. ubi Apostolus : *Qui unxit nos, inquit, DEus est, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus S. in cordibus nostris.* Sed nec

præter-

(k) De Republ. Eccles. part. II. Lib. V, cap. V, num. 31. (l) Tom. II. Controv. II. Sect. X. §. 6.

prætereundem est dictum Christi Joh. XIV, 26. ubi, quod Apostolus in cap. hoc vers. 27. unctiōni, idem Salvator Spiritui S. tribuit, quod *doceat nimirum omnia*. III. Patrum dicta, e quibus præcipua, ab ipsomet Lorino annotata, huc transferemus. Ita Hieronymus (m) disputans de vario illo hominum genere, quos ungi solitos fuisse apud veteres constat, *Unguentum istud*, de quo modo Johannes ait, *spirituale esse statuit*. Et Gregorius (n) *de allocutione intimæ inspirationis, quæ humanam mentem contingendo subleuat*, interpretatur. Quin & Irenæus (o) *Chrisma veritatis nominat, i. e. Spiritum veritatis, ut appellatur Spiritus S. Joh. XV, 26. XVI, 13. Et imprimis observanda veniunt Augustini (p) verba, quæ infra Quest. II. circa finem adducemus, quibus unctiōnem h. l. spiritualem denotari expresse asseruit*. IV. Interpretum, quos consulere quidem nobis licuit, consensus, non tantum *Nostratum (q)*, *Reformatorum (r)*, sed & ipsorummet *Pontificiorum*. Sic ipsemet Innocentius III. (citante Lorino) *unctiōnem istam vocat interiorem, spiritualem, invisibilem, &c.* Et Salmero: *Vocat, inquit, Apostolus unctiōnem Spiritum S. & ejus dona, quæ metaphorice & figurate in Scripturis dicuntur Unctio: quibus donis infusus Spiritus S. creatura rationali niri solet. Et Lorinus, baud dubium esse, ait, quin per se Johannes solam significare velit unctiōnem internam, nec gratiæ quidem justificantis, sed doni intellectus, quo vulnus ignorantie curetur. Cum quibus consentit etiam Estius, hunc in modum scribens: Unctiōnis seu chrismatismis vocabulo gratia Spiritus S. significatur: vel potius ipse Spiritus S., quo velut oleo spirituali mentes suorum fidelium Christus perfundit & irrigat, multiplicem eis gratiam largiendo, tum doctrinæ & scientiæ, tum sanctitatis & virtutum, &c.*

§. 11. Cæterum non dona tantum Spiritus S., sed ipsam quoque ejus essentiam unctiōne hac fidelibus communicari, firmiter credendum venit. Id quod etiam partim ex iis, quæ adducta sunt hætenus, jam elucescit, partim adhuc, utut paucis, e Scriptura

(m) Lib. II. in cap. III. Habac. (n) Lib. V. Moral. cap. XIX. (o) Lib. IV. cap. XLIII. (p) Tract. III. in Epist. Joh. (q) Vid. Biblia Vinariens. it. Luc. Osiandri & Cramerii. confer. Hunnii Comment. in h. l. nec non Lyseri Aphorism. ex Epist. Joh. quibus adde Hornei Comm. in Epist. Canonicas. (r) Vide Biblia Belg. it. Beza, & confer. Calvinii, Piscatoris, Paræi, Bullingeri, Gualtheri Comment.

ptura S. stabiliendum erit. Equidem naturam Spiritus S. & essentiam a donis & operationibus, juxta Scripturæ stylum, quæ *charitatem, bonitatem, justitiam, veritatem* vocat *fructus Spiritus*, Gal. V. 22. Ephes. V, 9. & *operationes* a DEO Spiritu S. diversas esse docet, 1. Cor. XII, 6. seq. merito nos quoque distinguimus. Qua ratione alienos nos esse testamur ab opinione *Lombardi*, (f) qui discrimen illud non obscure tollit, cum: *Spiritus S. inquit, est amor sive charitas, qua nos diligimus DEum & proximum, quæ charitas cum ita est in nobis, ut nos faciat diligere DEum & proximum, tunc Spiritus S. dicitur mitti vel dari nobis, & qui diligit ipsam dilectionem, qua diligit proximum, in eo ipso DEum diligit, quia ipsa dilectio DEus, i. e. Spiritus S.* Enimvero cavendum est sedulo, dum discrimen auctoris & operis sartum tectum cupimus, ne incaute in extremum alterum prolabamur, & res sua quidem natura distinctas, minime tamen separatas, imprudenter divellamus, quod suo tempore nonnullos fecisse, idem, quem citavimus modo, *Lombardus* (t) narrat. *Sunt, inquit, aliqui, qui dicunt, Spiritum S. ipsum DEum non dari, sed dona ejus, quæ sunt ipse Spiritus S. & ut ajunt, Spiritus S. dicitur dari; cum gratia ejus, quæ tamen non est ipse, datur hominibus.* Quorum sententiam recte ibidem rejicit, & ex *Augustino* (u) itemque *Ambrosio* (x) ostendit, ipsum Spiritum S. tertiam SS. Trinitatis personam nobis dari, nostrisque illabi mentibus & infundi, Et sane, consulentes Scripturam S. plurima deprehendemus testimonia, certiores de sententia nostra nos facientia, utpote quæ non permittant, ut vox Spiritus pro nudis donis aut gratiosa tantum operatione accipiatur. Ita Rom. V, 5. dicitur: *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* Et Rom. VIII, 14. 15. *Accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Idem Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, &c.* Et Gal. IV, 6. *Quoniam estis filii DEI, inquit Apostolus, emisit DEus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Utrumque ergo in fidelium animis reperitur, Spiritus S. ejusque operatio. Unde non divinorum tantum donorum, sed divinæ quoque naturæ consortes dicimur 2. Petr. I, 4. quem locum *Beza* (y) ita obscurat, ut per *θεϊαν φύσιν* non ipsam DEI

(f) Lib. I. Distinct. XIV, II. B. (t) Lib. I. Distinct. XIV. C. (u) Libr. de Trinitate. (x) Lib. I. de Spiritu S. (y) In Annotat. super h. l.



ἰσολαν, sed certas qualitates, quas DEi virtus in nobis efficiat, indicari statuat, cum Serveti erroribus, qui quandam divinæ essentia in nos transfusionem sibi imaginatus est, patrocinari illos, qui ipsius divinæ naturæ (non tantum donorum) vi hujus loci pios dicant confortes, arbitretur. Sed falli eum, quis non animadvertit? Etenim non opus est, ut, asserto cum natura divina consortio, blasphema statim Serveti transfusio, qua mutabilem & rerum omnium partem facere DEi substantiam conatus fuit, sequatur, cum ἁσὼρπερῶς intelligendum veniat istud consortium, & per spiritua- lem animæ fidelis cum DEo unionem, cujus immutabili essentia nihil inde mutabilitatis contrahitur, rectissime explicetur. Majoris lucis ergo loca etiam alia adjungemus. Confer itaque 1. Theff. IV, 8. 2. Cor. I, 22. Joh. XIV, 26. Esa. LVIII. vers. ult. Psal. LI, 12. 13. 14. Matth. III, 16. Joh. XX, 22. Act. II, 3. In- primis vero observanda veniunt illa Scripturæ dicta, quando Spiritus S. habitare in fidelibus dicitur. Ita ait Salvator noster Joh. XIV, 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus dili- get eum, & ad eum veniemus* (nos, Pater, Filius, & e vers. 26. Spi- ritus S.) *& mansionem apud eum faciemus.* Ita Apostolus 1. Cor. III, 6. VI, 19. *Nescitis, inquit, quod templum DEi estis, & Spiritus DEi habitat in vobis? Bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis,* 2. Tim. I, 14. Quæ dicta, si quis de sola operatione gratiosa accipiat & donorum collatione, non levem sane textui inferet in- juriam. Nec impingit minus, qui *mansionem illam & in habitationem Spiritus S. in fidelibus per certam perpetuamque ejus cognitionem ex- ponit*, quod a magno quodam Theologo fieri Zanchius (z) pro- fitetur. Nos literæ inhærentes subtilitates istiusmodi omittimus, & cum B. Luthero (a) dicimus: *Quid ista accurate disputata edificant, cum habemus clarum verbum Christi? Veriemus, &c. faciemus. Habitat ergo verus Spiritus S. in credentibus, non tantum per dona, sed & quoad substantiam suam.* Non autem talis tantum intelligenda venit præsentia generalis seu universalis, uti non absens vel emi- nus, sed de propinquo seu præsens etiam res præter hominem alias

C

pro-

(z) De tribus Elohim. part. II. Lib. V. cap. IV. pag. 677. (a) Tom. IV. Latin. Witteb. pag. 330. b. conf. Tom. VII. pag. 107. & Explicat. pericopes Evangel. in Fest. Pentecost.

providentia, potentia & operatione conservare & gubernare dicitur, Jerem. XXIII, 23. 24. Psal. CXXXIX, Actor. XVII, 27. 28. sed specialis propinquitas & operatio, qua fidelibus adest. Quando enim Scriptura S. Spiritus S. praesentiam peculiariter hominibus piis pollicetur, certum est tum, quando fit promissio, non plane Spiritum S. iisdem abesse, quippe qui hoc modo ne ad momentum quidem forent superstites: abest tamen speciali propinquitate illa & operatione, quam benigna promissio offert.

§. 12. Spiritualem ergo h. l. unctiōnem intelligi, qua non Dona tantum Spiritus S. sed & ipsa ejus essentia fidelibus communicatur, edocti, superest, ut paucis, cur Spiritus S. *Unguento* seu *Oleo* & ejusdem *collatio Unctiōni* comparetur, inquiramus. Et suavissima omnino inter Oleum, Unguentum seu Unctiōnem atque Spiritum S. atque salutifera ejusdem dona occurrit *ἀναλογία*. Sicut enim oleum flammis alimentum suppeditat: ita Spiritus S. efficit, ut novos divini amoris motus & flammam concipiamus. Atque hoc est *spiritu fervere*, Rom. XII, 11. *seu fervidum esse, non frigidum neque tepidum*, uti Salvator noster Apoc. III, 15. 16. loquitur. Spiritus S. enim pulso frigore impietatis, & hypocriseos tepore corda hominum ita calefacit, ut ardentissimo DEi verbique ejus, & salutis propriae amore penitus inflammentur. Ac, velut ignis, infuso oleo, acerrime ardens celerrime, quicquid injicitur, absorbit: ita spirituale hoc oleum, Spiritus S. (qui ignis vocatur Matth. III, 11.) piorum animos ad liberam veritatis confessionem ac constantem accendit, ut nihil minarum, nihil periculorum, nihil suppliciorum horreant, quo minus Christum intrepide confiteantur. Id quod in primis ex Apostolorum exemplo, meticolose antea delitescunt, at mox, accepta hac Unctiōne, animose in publicum prodeuntium, hostibus ipsis, eorum in dicendo confidentiam Act. IV, 13. admirantibus, satis liquet. Oleum accensum in sublime flammam emittit: ita Spiritus DEi pios ad precandum inflammat, & suspiria in eorum cordibus agit, ut in caelum ferantur, Rom. VIII, 15. 26. Gal. IV, 6. Zach. XII, 10. Olei liquor membra corporis recreat: Spiritus S. in adversis omnibus, in primis in agone mortis, nos reficit & refocillat. Unde *Consolator καὶ ἐξοχῆν* dicitur Joh. XVI, 7. & *Oleum laetitiae*, h. e. lætificans, Psal. XLV, 8. confer

fer

fer Rom. XIV, 17. Membra corporis, oleo inuncta, agilia & ad actiones expeditiora redduntur: Credentes, oleo Spiritus S. uncti, dona simul & vires ad partes muneris sui fideliter obeundas consequuntur, 1. Sam. XVI, 14. 1. Cor. XII, 7. II. Spiritus enim S. cornu & *ταμείον* est omnigenarum virtutum, Esa. XI, 2. ut alias similitudinis partes, in quibus conferri Spiritus S. cum oleo potest, brevitatis causa prætermittamus, nullum est dubium, quando h. l. Spiritus S. Unguentum appellatur, imprimis ad id respici, quod, velut oleum non tantum limpidum & pellucidum in se est, sed res quoque, quæ eo perunguntur, lucidas reddit: ita Spiritus S. quoque per se lux est, 1. Joh. I, 5. discussa ignorantia caligine mentes Electorum cognitione voluntatis divinæ ita illustret, ut, Johanne teste, *omnia sciant*, quæ scil. ad salutem scitu sunt necessaria: de quo infra latius. Rectissime itaque, præeunte Scriptura S. conferri Spiritum S. cum oleo posse, nulli dubitamus. Neque quicquam faceſſat nobis veterum Hæreticorum obiectio, imminui nempe Divinitatem Spiritus S. si ipse Unguentum dicatur, quo non Filius tantum DEi sit unguendus, sed fideles etiam inungantur. Satisfecit enim ei accerrima pro merito Responſione Cyrillus (b), cum ait: *O temulentos omni amentia homines, & turpissima fatuitate refertos! Dimittant, queso, corporum proprietates, & quæ de DEo verbis dicuntur hominum, (nec enim aliter loqui possumus, ) non aliter intelligant, quam divinam decet naturam. Quæ porro diducit prolixius, veram DEitatem Spiritus S. confirmans, & unguenti etiam denominationem ei tributam rite exponens. Nobis autem esse prolixioribus non licet.*

## DE SECVNDO.

## §. 13.

*Ἀπὸ τῆς Ἁγίας, A Sancto illo.*) Nulla equidem SS. Trinitatis persona, quin hoc epitheton ei tribuatur. Ita e. g. *Pater Sanctus* dicitur Joh. XVII, 11. Tertiam vero SS. Trinitatis personam eodem titulo gaudere, adeo manifestum est e Scriptura S.

C 2

Novi

(b) Thesaur. Lib. XIII. cap. III.

Novi præsertim Testamenti, ut comprobare idem prolixius velle, otiosum videri haud immerito posset. Certum quoque est, quod tota SS. Trinitas *Ungens* dici queat, siquidem unctio non est proprietas characteristicæ Patris, & opposita Filio & Spiritui S. relatio, ut generatio Filii. Neque est actio ad intra, quæ in ipsa Essentia divina terminatur: sed est actio, quæ rem aliquam, essentialiter a natura divina distinctam, divino modo perficit. Quemadmodum igitur tota SS. Trinitas in salvationis nostræ negotio occupata est: ita & in hac unctioe, qua ad salvationem nos præparat. Enimvero procul dubio Apostolus h. l. per *Sanctum illum* denotare Redemptorem nostrum Opt. Max. voluit, uti Interpretes, qui ad manus nobis fuere, plerique omnes consentiant. Solus est, quem recedere a communi reliquorum sententia vidimus, *Bullingerus*, per *Sanctum illum* tertiam SS. Trinitatis personam h. l. intelligi arbitratus. At nulla subesse ratio videtur, cur a communi interpretatione recedendo Bullingerum reliquis omnibus præferamus, præsertim cum ipsa Scriptura S. *Spiritu S. fideles ungi*, quam *Unctionem ad illo proficisci*, potius asserat. Quin adeo manifesta est vulgaris sententia, ut nec deserere eandem ipsemet *Socinus* audeat, quando: *placet*, inquit, *omnino Sancti appellatione vel DEum, vel Christum intelligere*. Quod autem deinceps inferius ad *vers. 27.* scribat: *DEum ungere per Christum*, hac scil. locutione. Salvatorum nostrum causam tantum instrumentalem & secundariam Unctionis illius facturum, uti etiam expressis verbis: *Certissimum esse*, ait, *Unctionem istam a DEO tanquam primaria causa, a Christo vero tanquam secundaria*, impia & temeraria manu, ut honorem Christo debitum detrahat, ab eodem factum est. Quæ Socini impietas fatis alibi a Theologis orthodoxis in libris Theologicis passim detecta est, & mox a nobis, utut paucis, in sequentibus manifestabitur. Interea, communem & receptissimam interpretationem nos quoque sequentes, per *Sanctum illum* intelligi Salvatorem nostrum arbitramur, qui passim etiam alibi in Scriptura S. hoc elogio decoratur. Ita Dan. IX, 34. Angelus Gabriel: *Ungetur*, inquit, קָדַשׁ קְדָשִׁים *Sanctitas Sanctitatum*. Ubi Christum intelligi Salvatorem nostrum a *Cornel. a Lapide* (c), *D. Mülle-*

ro

(c) In Comment. ad h. l. Danielis.

ro (d), & D. Geiero (e), fufius oftensum est. Quin ipfemet Angelus, quid per Sanctum Sanctorum intellexerit, explicatum dedit Luc. I, 35. ubi nativitatē Christi annuncians Matri ejus: *quod nascetur ex te*, inquit, *Sanctum, vocabitur Filius DEi*, confer Marc. I, 24. Act. III, 14. Apoc. III, 7. In quibus & aliis Scripturæ locis idem Christo titulus tribuitur. Et revera Christus *Sanctus* est, tum respectu Nostri & Ecclesiæ.

§. 14. Respectu Sui Sanctus est Christus quoad *DEitatem & Humanitatem*. Quoad *DEitatem* καὶ ἐξοχὴν Sanctus dicitur, quod in se sanctus sit, imo essentialiter sanctus, auctor atque scaturigo sanctitatis, non quod ipse sanctificetur, vel sanctitatem aliunde accipiat, uti rectissime annotavit Origenes (f), cum: *Sola*, inquit, *Trinitas substantia est, quæ non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sancta est: omnis vero creatura vel dignatione S. Spiritus, vel virtutum ratione sanctificata, sancta dicitur*. Atque hanc ob causam Hanna, mater Samuelis: *Nullus est sanctus, ut Jehova*, merito exclamat, 1. Sam. II, 2. Cum qua concinunt Martyres: *Solus sanctus es*, Apoc. XV, 4. Imo hunc referendum quoque τρισάγιον illud Angelicum Esa. VI, 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*. Quo DEum Trinunum, adeoque Filium etiam DEi venerabantur, uti Joh. XII, 41. vidisse tum Prophetam Christi gloriam, & locutum de eo esse, manifestis verbis asseritur. Quoad *Humanitatem* Sanctus est Salvator noster, & quidem solus. De hominibus reliquis, quotquot eorum sunt, fuere, vel futuri sunt, vere Jobus: *Quis edat mundum ex immundo? ne unus quidem*, c. XIV, 4. Equidem & hominibus nonnunquam *Sancti* nomen tribuitur; ita e. g. fideles appellantur קְדוֹשֵׁי אֶרֶץ sancti, qui in terra sunt, Psal. XVI, 3. & alibi passim. At sanctitas illa aliunde originem trahit, nempe a Christo, & *imputata* alias dicitur. Inchoata enim sanctitas perfecta nequaquam dici potest, Job. XV, 15. De solo Christo, immediata Spiritus S. operatione e sanctificato virginis sanguine nato, Paulus ait: *quod sit sanctus, ab omni macula alienus*,

C 3

Hebr.

(d) In Judaismo cap. X, pag. 295. (e) Comment, super h. 1. (f) Homil. I, in Num.

Hebr. VII, 26. confer Luc. I, 35. 2. Cor. V, 21. Unde vitam etiam sanctissimam vixit, & munere suo sancte in his terris defunctus est, 2. Petr. II, 22. confer Joh. VIII, 46. *Sanctus* quoque Christus est *in omnibus operibus suis*, quæ ab omni reprehensione absunt, Psal. CXLV, 17. LI, 6. CXI, 7. Marc. VII, 37. Respectu *Nostri* & *Ecclēsiæ* bifariam Christus appellatur *Sanctus*, (1) quia in Redemptorem nostrum sanctificatus est, Joh. X, 36. quæ sanctificatio alibi unctio appellatur, Esa. LXI, 1. (2) quia nos sanctificat, unde *sanctificatio nobis a DEo factus* dicitur 1. Cor. I, 30. idque dupliciter, (N) sanctitate imputata, dum scil. sanctitas ejus & justitia per fidem nobis imputatur, Joh. XVII, 19. Hebr. X, 10. 14. unde Jerem. XX, 6. & XXXIII. 16. יהוה צדקנו appellatur. (2) Quando virtute Spiritus S. vim & ἐνεργειαν sanctitatis suæ in nos derivat, ut & ipsi in nobis sanctificemur, i. e. ab inquinamentis mundi hujus segregati, & spiritu & corpore DEo serviamus, 2. Cor. VII, 1. Apoc. XXII, 11. Scilicet indissolubili nexu copulatæ sunt imputata & inchoata sanctitas, 1. Cor. I, 30. VI, 11. ita tamen, ut inter hanc & illam maximum sit discrimen. Illa (scil. imputata) in judicio DEI peccatorem absolvit; hæc (scil. inchoata) minime. Unde David, Vir alioquin sanctissimus, exclamat: *Si iniquitates observaveris*, &c. Psal. CXXX, 3. Illa pacem affert conscientia; hæc eandem sequitur: Illa simul semel perficitur; hæc per gradus; Illa fit per donationem; hæc per conversionem: Illa finem habet cum hac vita; hæc durabit in seculum.

§. 15. *A Sancto illo* fideles unctioem habent. Respicit procul dubio hac locutione Johannes ad figuras & Umbras V. T. Quemadmodum autem e sanctuario & tentorio petebatur oleum ad ungendos Sacerdotes & Reges, Exod. XXIX. & XXX. 1. Reg. I, 39. ita *Sanctus Sanctorum*, qui cœleste Sanctuarium ingressus est, nos Sancti sui Spiritus & salutarium ejus beneficiorum participes facit.

§. 16. Habemus autem unctioem, nempe Spiritus S. una cum ejusdem donis a Christo, i. tanquam *vero DEo*. Nam Spiritu S. homines ungere divinum opus est. *Spiritum S. a DEo habetis*, inquit Apostolus 1. Cor. VI, 19. Quoniam ergo Salvator noster ve-  
rus

rus est DEUS, ejusdem cum Patre potentia, Spiritum S. a Christo etiam ab aeterno procedere, & in tempore mitti, firmiter statuendum est. Id quod prolixè passim in Locis Theologicis a Theologis summis comprobatur: nos rationes præcipuas, quæ pro confirmanda hac sententia faciunt, in compendium contrahemus; (1) quia Spiritus S. non minus est & dicitur Spiritus Christi, Rom. VIII, 9. & Spiritus Filii, Gal. IV, 6. & Spiritus Jesu Christi, Philip. I, 19. 1. Petr. I, 11. quam Spiritus Patris, Matth. X, 20. Rom. VIII, 9. Hinc Augustinus (g): *Ejus est Spiritus, inquit, unde spiratur. At dicitur & est non tantum Patris, sed & Filii Spiritus. Ergo non solum a Patre, verum etiam a Filio spiratur, seu procedit.* (2) Quia non solum Pater, sed etiam Filius eum mittere & dare dicitur, Joh. XV, 26. XVI, 7. XX, 22. conf. Luc. XXIV, 49. Act. II, 33. Apoc. V, 6. (3) Quia æque Spiritus labiorum & oris Christi, Esa. XI, 4. 2. Thess. II, 8. uti Spiritus oris Patris Psal. XXXIII, 6. nominatur. Quod & Christus indicare voluit, Apostolis in sufflando Spiritum S. dans, Joh. XX, 22. ut actione hac Oris sui corporei significaret, tam intimum & naturalem sibi esse Spiritum, quam halitus etiam & flatus erat ex humano ipsius ore egressus: & non minus a se procedere Spiritum Sanctum, quam Spiritus ille animalis, seu flatus ex ipso efflabatur. (4) Cum Pater & Filius unum sint, siquidem non gemina *ῥοία* Patris & *λόγος*, sed una est: Spiritus vero Sanctus a Patre procedere & mitti dicatur; negari non potest, a Filio etiam eum procedere & mitti, nisi forte cum Tritheitis Essentiis Patrem & Filium dividamus, & aliam dicamus Essentiam Patris, e qua procedat Spiritus, & aliam Essentiam Filii, e qua non procedat.

§. 17. Quod vero Missio & Effusio Spiritus S. Christo etiam II. ut Homini competat, id confirmari potest (1) ex *Capitis appellatione*. Sicut enim unctio Aaronis a capite in ipsius membra descendebat: sic a Christo Capite vigor Spiritus in membra Corporis mystici dimanat. Atque ut a naturali capite motus & sensus per nervos in reliqua membra effunduntur: sic a Christo Capite Spiritus S. & per illum dona ad salutem necessaria in Christi membra

(g) Tract. XCIX. in Johana.

bra derivantur. Jam vero Christus est Ecclesiae suae Caput etiam secundum Humanam Naturam: Ergo etiam secundum Humanam Naturam donat fidelibus Spiritum S. Hinc Psal. XLV, 8. Christus dicitur *Unctus oleo letitiae seu Spiritu S. praesortibus suis*, ut scilicet ex ejus plenitudine omnes acciperent, Joh. I, 16. Huc facit notatu digna Flacii (h) observatio, quod praefixum ׀ in Ebraeo מְחַבְּרֵיךְ commode etiam reddi possit per praepositionem *propter*. Exempla vide Psal. LXVIII, 30. XII, 6. Proverb. XX, 4. ut sensus sit: Christum unctum esse propter consortes suos, ut unctio ab ipso tanquam capite derivetur in fideles. Duplici nimirum fine Unctio illa Christi facta est, tum quia Caro ipsius ad exsequenda Redemptionis & mediationis munia erat plenitudine Spiritus S. sanctificanda; tum ut dispensaret inter consortes suos partem Gratiae. Nimirum non cum abundantia tantum, propter Officium plene absolvendum, sed etiam cum redundantia, propter beneficium nobis conferendum, Christus est unctus, uti profitentur Theologi, & cum eis D. Waltherus (i). Atque idem etiam ex Sacris constat. Christus enim ita Rex noster est gubernando, ut Caput etiam sit influendo, Ephes. IV, 15. 16. Ac ita in eo plenitudo omnis est, ut per illum nos simus etiam completi, Coloss. II, 10. in qua perfectione beatitudo nostra consistit, 1. Cor. XIII. 10. XV, 28. 2. Cor. I, 21. 24. Joh. II, 16. Quae omnia ad fructuosam Capitis nostri Unctionem rite applicat Waltherus (k). Huc pertinent Patrum dicta, quos inter Justinus Martyr (l): *Reges omnes & uncti huic Christo acceptum tulerunt, quod & Reges & uncti vocati sunt.* Et Augustinus (m): *Ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se Sacerdotalis & Regia dignitatis esse consortem.* Et Faustinus Presbyt. (n): *Per hoc, quod Jesus factus est & Christus & Dominus, nobis prospectum est, quibus Regni ejus & Sacerdotii & Domini potestas, velut munus salutare collatum est, &c.* Unde cognosci simul potest, quid Christiani Nomen importet, esse nimirum idem Officii, non Naturae Nomen, juxta illud veterum, & imprimis Tertulliani (o): *Non nascuntur, sed fiunt Christiani.* Fiunt scili-

(h) Part. I. Clav. Script. S. fol. m. 1294. (i) Tractat. de Unct. §. 67. (k) cit. loc. §. 75. (l) De Verit. Christ. Relig. pag. 167. (m) Tract. in Johann. (n) Libr. de Fide, contra Arrian. cap. V. (o) In Apolog. cap. XVII.



scilicet, quoad Sacerdotalis, Regiæ & Propheticæ dignitatis per Christum participes facti dignos se exhibent tantis Nominibus, tantisque per eadem significatis virtutibus, nec Christiani tantum sunt τῶ λέγεσθαι, sed & τῶ εἶναι, ceu eos describit Ignatius (p). Augustinus (q) nomine tantum Christiano dealbatus appellat. Cæterum cum Unctos ita dicimus Fideles, ut spirituales fierent Reges, Sacerdotes ac Prophetæ, non pari eos cum Christo unctiōnis genere esse delibatos contendimus, sed fatemur cum Augustino (r): *Christus singulariter unctus est, præcipue unctus, unde omnes Christiani unguuntur: participes enim ejus omnes sancti, sed ille singulariter Sanctus Sanctorum, singulariter Christus, singulariter Unctus.* Et cum Ambrosio (s): *Christus benedictionem supra omne genus humanum agnoscitur accepisse, ut Unctus singulariter ceteros ungat: In illo enim fons benedictionis, prout ipsi visum fuerit, per universos electos competentem emanat:* quæ verba etiam apud Eusebium Emisenum (t) leguntur. Unctus ergo est Salvator Spiritu S. ἐκ περισσῆς καὶ ἀμέτρως, & eodem ungit fideles dimense & partialiter. Quam Unctiōnis in Christo præ fidelibus præcellentiam diversitas subjectorum facit: Illud plane divinum est Patri & Spiritui S. ὁμοῖον, essentia videlicet infinitæ: unde & infinitis Caro ejus, in unam ὑπόστασιν assumpta, donis inungi debuit; Fideles homines meri sunt, nec infinitudinis donorum capaces, qui ipsi finiti sunt, nec infinitæ substantiæ personaliter unitæ: pro modulo igitur hanc Donorum elargitionem spiritualium acceptant, Ephes. IV, 7. Rom. XII, 3. I. Cor. XII, 11. (2) *Ex Christi prædicatione & promissione, quando discipulis suis dicit: Confert vobis, ut ego abeam, per mortem scil. ex hoc mundo. Nisi enim abiero, Advocatus ille non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos, Joh. XVI, 7.* Ex qua promissione simul apparet, Christum morte sua Spiritum S. nobis promeruisse. At certe Salvator noster & Redemptor est secundum utramque naturam. Quam varie autem citata verba ab Interpretibus accipiantur, facillimum foret exponere

## D

(p) Epist. II. ad Magnesios, πρέπων ἔστιν μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εἶναι, *Decens est, non solum vocari Christianos, sed & esse.*  
 (q) Libr. I. contra Epist. Parmeniani cap. VII. Tom. VII. (r) Tract. in Job. ad cap. I. Tom. IX. Opp. (s) Comment. ad Ebr. cap. I. (t) In Homil. Quadrag. post Domin. Passion.

nere, si præcipuam in prolixitate quærendam esse commendationem, arbitraremur. Enimvero cum fufiffime præter alios illa omnia congesserit D. Gerhardus (u), eo Lectorem ablegare istarum rerum cupidum, quam multa hic e charta in papyrum describere, confaktius omnino arbitramur. (3) *Ab exaltatione.* Spiritus enim S. missio est salutaris Finis & Effectus exaltationis Christi ac sessionis ad dextram DEi. Act. II, 33. *Dextra DEi exaltatus, & promissione Spiritus S. accepta a Patre effudit hoc, quod videtis.* Jam vero Christus secundum Humanam Naturam exaltatus & ad dextram DEi collocatus est. Ergo. (4) *Ex Officii Christi administratione.* Missio Spiritus S. pertinet ad Propheticum & Regium Christi Officium, quia ipse ad dextram DEi evectus Spiritum S. Ecclesiæ Doctorem constituit, ac per eundem in cordibus hominum ad conversionem & salutem efficax est, eosdemque adversus omnes Satanae mundique insultus confirmat. Jam vero administratio Prophetici & Regii Officii competit Christo secundum utramque naturam. Et hæc etiam de *Secundo Cap. hujus Membro* attulisse in medium sufficiat. Agendum nunc erit etiam

## DE TERTIO.

§. 18.

*Ἰμεῖς ἔχετε χρίσμα, Vos unctionem habetis.)* Quinam illi sint, quos unctionem habere a Sancto illo Johannes h. l. asserit, paucis indagandum erit. Facile autem, non de hominibus omnibus pronunciatum Apostoli accipiendum esse, patescit, siquidem Salvator noster Joh. XIV, 17. dicitur: *Spiritum veritatis, inquit, mundus non potest recipere, quia non videt eum.* Mundi nomine intelliguntur (1) *Sapientissimi, potentissimi, ditissimi, eminentissimi in hoc mundo homines, tumentes mundana sapientia, potentia, &c.* In qua significatione vox *Mundi* accipitur I. Cor. I, 20. 21. Hic mundus non potest accipere Spiritum S. ut patet ex verbis Apostoli Rom. VIII, 7. I. Cor. I, 26. 27. 28. II, 14. (2) *Quotquot sunt extra Ecclesiam, illi non possunt accipere Spiritum S. quia non datur nisi per Verbum & Sacramenta, quæ bona extra Ecclesiam non reperiuntur.* (3) *Qui mundo huic*

(u) Harmon. Evang. cap. CLXXIX. seqq.

corde

*corde suo adherent*, cum Spiritus mundi et Spiritus DEi sibi opponantur 1. Cor. II, 12. (4) *Qui in peccatis contra conscientiam secure pergunt*: Illi enim Spiritui S. obicem malitiose ponunt, conf. Gal. V, 16. Probe autem notandum, quod verba Christi non simpliciter & absolute, sed reduplicative sint accipienda, quod, quamdiu homines mundani tales sint & manent, non possint accipere Spiritum S. Non ergo culpa quaerenda est in DEo, quasi is absoluto quodam decreto reprobatorio maximam hominum partem a Spiritu S. acceptione excluderet, sed culpa unice residet in hominum malitia. Id quod indicaturus Salvator ἀτιολογικῶς causam subjungit istam, quia non videt eum. Manifestum autem est, non de corporali visione verba intelligenda esse, nisi forte eo modo, ut dicatur: Mundum adhære tantum visibilibus & corporeis, invisibilia nec credere nec desiderare, manus ejus esse oculatas, (credit nempe, quod videt,) inde etiam Spiritum S. & beneficia ejusdem non credere mundum, nec æstimare. Unde Augustinus (vv): *Non habet invisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus S. potest, qui videri, nisi invisibiliter, non potest.* Atque hinc spiritualis potius visio intelligenda venit, hoc est, cognitio, quæ ob certitudinem visio vocatur, id quod etiam alibi fit in Scriptura S. Sap. VI, 13. XIII, 5. Joh. IV, 19. VI, 40. Hebr. VII, 4. &c. Sensus ergo est, quod mundus non consideret, nec curet Doni hujus magnitudinem ac pretiositatem, nec attendat salutarem ejus fructum & effectum. Cum enim vivat in securitate & abundantia, nullo Consolatore, cum admiretur suam sapientiam, nullo Informatore se indigere existimat; cum positus sit in maligno, 1. Joh. V, 19. ideo non capax est Spiritus S. Sap. I, 5. Cum regatur a spiritu mendacii, ideo Spiritum veritatis nec novit, nec desiderat.

§. 19. Proinde manifestum est, neque pronunciatum h. I. Johanneum ad omnes omnino homines pertinere, sed ad pauciores. *Fideles* ergo alloquitur, quos communionem habere cum DEo, & in luce pietatis, fidei, veritatis, virtutumque Christiano homini competentium, ambulare dixerat cap. I. 7. quibusque peccata propter Nomen Christi remissa esse, asseverat in cap. hoc II, 12. Speciatim vero

D 2

Fide-

(vv) Tract. XXXIV. in Johann.

Fideles omnium ordinum & ætatum compellat: *Scribo vobis, Patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, & verbum DEi manet in vobis, & vicistis Malignum. Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis Patrem, vers. 13. 14.* Impleri nimirum oportuit vaticinium DEi de copiosa Spiritus S. in electos effusione citra ætatis, sexus & conditionis discrimen, Joel. II, 28. 29. Hos Unctionem seu Spiritum S. a Christo accepisse Apostolus affirmat. Solis quippe fidelibus datur Spiritus S. quoniam est *Spiritus adoptionis*, Rom. VIII, 15. Unde D. Apostolus Paulus Gal. IV, 6. *Quoniam estis filii DEi, emisit DEus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba Pater.* Atque hi etiam sunt, qui merito commune gerunt cum Christo nomen, cujus etiam respectu vera aliqua inter ipsos & Christum est *μετοχή*. Is enim demum *μέτοχος* dicitur, qui secundum Phavorinum in Lexico: *Μετέχει ὀνόματος καὶ ἐνματός.* Et δὲ ἔ μετέχει τινὸς τῶτων, ἂν ἐστὶ μετοχή, concludit. De qua & nominis & rei *μετοχή* egregie Cyprianus (x): *Participes Christi quotquot sunt, Consortes sint tam unctionis, quam nominis, & dicantur a Christo Christiani: ut sint sub Duce Christo Rectores & Duces, & offerant DEo quotidianum sacrificium, ordinati a DEo sanctimonia Sacerdotes.* Probe autem simul observandum venit, duplici respectu Christum *μετόχος* habere, nimirum quoad assumptionem carnis in suam ὑπόστασιν, Ebr. II, 14. Psal. XXII, 23. Matth. XXVIII, 10. & quoad donorum Spiritus participationem. Quo cognito, facilis erit conciliandi modus ἐναντιοφάνειαν Patrum & quorumvis Interpretum, qui modo homines omnes faciunt Christi consortes, modo fideles in specie. Non de illis, sed de his nobis h. l. sermo, quibus Spiritus S. a Christo donatur. Donatur, inquam. Cavendum quippe est, ne DEi filios sua fide & pietate mereri Spiritum S. persuasum nobis habeamus. Nihil minus. Ipsa fides DEi donum est, unde *fidei Spiritus*, 2. Cor. IV, 13. Pietas autem, & quæ eandem sequuntur, virtutes aliæ, *fructus sunt Spiritus*, Gal. V, 22. Ideo Spiritus S. *donum DEi* appellatur, Act. II, 38. quem Salvator noster morte sua & intercessione nobis impetravit, Joh.

(x) De Unctione Christiani. Tom. III. pag. 516. edit. Pammelli Ann. 1593.

Joh. XVI, 7. XIV, 16. Dicitur autem dari credentibus, & iis, qui dicto sunt audientes DEO, Act. V, 32. tum quod fidem una cum bonis operibus in iisdem accendat & efficiat: tum quod indies salutaria DEI dona in iis augeat & confirmet. Satis etiam de  
TERTIO.

## DE QVARTO.

## §. 20.

Καὶ οἴδατε πάντα, Et noſtis omnia.) Syrus legit  
וְיִדְעוּ לְכָל הוּא יִפְרֹשֵׁן נִתְּנָן Et discernetis omnem hominem. Sed  
Græci Codices & Oecumenius conſtanter habent πάντα, omnia,  
& ita etiam vetus Interpres, Auguſtinus & Beda legunt. Socinus  
(y) itaque ſtatuendum eſſe putat, πάντα apud Syrum idem va-  
luſſe quod πάντα ἀνθρώπων, vel illum accepſiſſe vocem πάντα, ac  
ſi ſcriptum eſſet πάντας, cum aliquoties in Sacris literis neutrum  
Genus (obſervante eodem Socino) pro Masculino uſurpetur (z).  
Quantumvis autem per Verſionem etiam Syriacam nullam inferri  
vim Textui, quo minus ſenſus ejuſdem maneat integer, arbitre-  
mur, ſi nimirum discernere fideles omnem hominem dicantur, ſcil.  
quoad doctrinam, ut Pſeudo-Doctores a veris & Orthodoxis valeant  
distinguere: primas tamen relinquendas eſſe Textui Originali merito  
exiſtimamus. Præſertim cum ipſe Syriacus Interpres inferius paulo  
verſ. 17. ubi ſimilis occurrit ſententia, quod Græce eſt περὶ πάν-  
των, non de hominibus omnibus, ſed de omni re interprete-  
tur.

§. 21. Initio igitur, quid per πάντα illa intelligendum  
veniat, diſquiramus. Extra omnem vero poſitum eſt dubitatio-  
nis alëam, non loqui h. l. Johannem de perversa Sophiſtarum ſcien-  
tia, circa quaſtiones & pugnas de verbis inſanientium, a quibus abſce-  
dere Timotheum jubet Apoſtolus, 1. Tim. VI, 4. 5. Neque natu-  
ralis proprie hic indicatur Philoſophia, quæ, licet extra abuſum

D 3

con-

(y) In Comment. ad h. l. (z) In Explicat. verborum Chriſti Matth. XVI, 16.  
Tu es Petrus.

considerata, laudem omnino mereatur, & inter dona singulari DEi beneficio hominibus concessa, referri jure debeat: huc tamen non pertinet, quoniam naturalis istiusmodi sapientia etiam apud infideles reperitur, uti excelluisse inprimis in his artibus ipsos Gentiles satis est cognitum. Unde Augustinus (a) Errorem Felic. Manichæi merito refutat, quod verba Salvatoris, cum his Johanneis plane convenientia, cum ait: *Spiritus S. vos docebit omnia*, Joh. XIV, 26. de scientia naturali, inprimis Mathematica, de cursu Solis & Lunæ, de structura cœli & terræ, de discrimine dierum & noctium, & hujusmodi rebus naturalibus aliis interpretetur. Verba Augustini hæc sunt; *In Evangelio non legimus Dominum dixisse: Mittam vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu Solis & Lunæ. Christianos enim facere volebat, non Mathematicos.* Equidem Christianus quoque operam navare artibus illis & scientiis potest, imo vel egregium in Christiano ornamentum est, si non in divina tantum, sed & humana simul scientia exercitatus fuerit. Nihil quippe nos morantur illorum deliria, qui Philosophiam sublatam e Christianorum cœtu penitus volunt, cum Philosophiæ operam navasse sedulam summos Ecclesiæ primitivæ Doctores constet. Et sane eadem una consistere cum Theologia optime potest, dummodo intra cancellos sese contineat, nec ad oppugnanda divina Mystera, quæ capere humana ratio sibi relicta non potest, adhibeatur. Ut silentio prætereamus, Philosophiam & rerum naturalium cognitionem ad meliorem Scripturæ interpretationem multis in locis facere, inprimis vero ad conflictum cum veritatis hostibus ineundum conducere plurimum posse. Sicut enim in feriendo hoste gladii splendor vulnus non facit, adjuvat tamen: ita quantumvis in opinionum dissidentium certamine solum DEi verbum, noyacula instar, erroneas conficere opiniones & hæreses possit, juvant tamen humaniores etiam Disciplinæ, quæ licet veritatem nihilo faciant potentiores, tamen in eo valde utiles sunt, quod Sophisticam retundant & debilitent. Unde emerfit Juliani Apostatæ vox isthæc: *Τοῖς αὐτῶν πηροῖς ἀλισκόμεθα.* Quam ille quærelam emisit, Gentilium errores Philosophorum

(a) Lib. I. contre Felic. Manich. cap. X.

phorum ipsius Philosophiæ subsidiis a Christianis profligari animadvertens. Et sane honorificum Ecclesiæ Doctõribus admodum fuit, quod in suis ipsorum castris hostes ab ipsis cæsi sunt, & *iis armis oppressi, quibus placere sibi, & confidere solebant*, ut loquitur Lactantius (b). Quicquid autem sit, sermonem de Philosophia, & Scientiarum humaniorum cognitione hic non esse, ipsa Textus *συνάφεια* evincit. Non enim scientiam hanc & rerum omnium cognitionem, de qua loquitur Johannes, Ecclesiæ saltem Doctõribus attribuit, uti quidem falso interpretatur Estius (c); sed omnibus omnino fidelibus & vere credentibus, quotquot Unctionem a Christo habent, id quod e contextu ipso & iis præsertim, quæ præcedunt *vers. 13. 14.* (videatur §. 19.) aperte potest intelligi, quos tamen omnes Philosophiæ cognitione instructos fuisse, credibile haudquaquam & verisimile videtur.

§. 22. Quamobrem spiritualis h. l. intelligenda est Cognitio, cum nimirum Spiritus S. in cordibus credentium efficax est, eosdemque interius docet per Verbum, discutiendo nativas mentium tenebras, & deducendo in omnem veritatem, Psal. CXLIII, 11. Ela. XI, 2. Jer. XXXI, 33. Joh. XVI, 13. 2 Cor. III, 18. IV, 6. Ephes. 1, 17. 18. Hebr. VI, 3. Adeo ut verbis his Apostoli cognitio omnium eorum, quæ ad salutem scitu & creditu, salvandis item factu & speratu necessaria sunt & sufficientia, denotetur. Non ergo omnia nosse simpliciter est cuncta alia scire, sed doctrinam cœlestem sufficienter percepisse & distinguere eandem ab hæreticorum perversis dogmatibus posse, sicut Paulus etiam 1. Cor. II, 15<sup>o</sup> dicit: *Spiritualement omnia dijudicare*. Facem his præferunt verba Salvatoris Joh. XV, 15. *Vos dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis; Omnia intelligit, quæ a Patre mandata ipsi erant, ut eadem homines ad salutem ipsorum doceret, ipsisque revelaret. Norunt autem omnia, qui vera DEi Christique Servatoris cognitione sunt imbuti. Testis ipse est Christus. Hæc (inquit Patri suo cœlesti) est vita æterna, ut te cognoscant esse solum illum verum DEum, & quem misisti Jesum Christum, Joh. XVII, 3. Cum quo convenit illud Apostoli: Non statui quicquam scire inter*  
vobis

(b) Lib. III. cap. I. (c) In Comment. suo ad h. l.

*vos, nisi Jesum Christum, eumque crucifixum*, 1. Cor. II, 2. Multa sane Apostolus noverat, antequam ad Christum converteretur: Sed *ea omnia*, scribit, *se damna reputasse, imo pro stercoreibus habuisse*, ad Christi cognitionem collata, Philip. III, 8. Christum qui novit, doctus est satis & Magister non in humana, sed in divina sapientia. Breviter: *Novit omnia*. Magna igitur profecto Pseudo-Apostolorum est impudentia, qui Christum scientibus prima Elementa, Legem Mosis, Angelorum Religiones, Circumcisiones, Divorum cultus, Merita, justitias humanas, statuta hominum oggannire audent, quasi ea demum post Christum sint scitu digna & necessaria. Illis autem Christianus respondebit: Novi ego in fide vera & dilectione proximi omnia ad salutem & salvandis necessaria scitu factuque consistere: *qui aliud docuerit, vel si sit Angelus de celo, Anathema sit*, Gal. I, 8. Quisquis hujus fuerit sententiæ, facillime & intelliget & vitabit Spiritum Anti-Christi & erroris, contentus unum Christum nosse, in quo novit omnia. Qui vero uno Christo non est contentus, sed fastidit tam humile & simplex verbum, & altiora quærit, is hianti ore & gutture humana hauriet somnia, ut nihil tam surdum impiumque adferri possit, cui non lubens adstipuletur.

§. 23. Denique cum hæc Scientia non nisi per Spiritum S. in cordibus fidelium per verbum & Sacramenta operantem, obtineatur, imo & retineatur, ardentibusque DEi adoratoribus promissa sit, Luc. XI, 13. Jac. I, 5. merito Paulino nostrum conjungimus votum: *Ut impleamur agnitione voluntatis DEi cum omni sapientia & intelligentia spirituali: & crescamus in agnitione DEi*, Coloss. I, 9. 10. Quo velut annulo *Caput* etiam hoc *Tertium* obfirmamus.

CAPUT



## CAPUT IV.

Trigam Quæstionum præcipuarum de totidiem Erroribus, quos extorquere ex hoc Dicto Heterodoxi allaborant, sistens.

## QVÆSTIO I.

*An Unctio externa Sacramentalis possit e nostro Textu demonstrari? Resp. Dissentiendo.*

**U**T haberemus peccatorum Alexipharmacæ, DEVS ordinavit *Sacramenta*. Quam vocem Quintus Septimius Florent. Tertulianus Centuriæ tertiæ Pater, in stricta hac significatione, primus in Ecclesiam introduxisse putatur, eamque a militia corporali ad Christiana bella transtulisse, ut sub vexillo Christi Ducis nostri fortiter pugnemus, in Libr. ad Martyres cap. III. his verbis: *Vocati sumus ad militiam DEI vivi, jam tunc, cum in Sacramenti verba respondimus.* Quo de plura qui desiderat, conferre inter alios potest D. Gerhard. Loc. Theol. de Sacramentis cap. I. & D. Joh. Foersteri Thesaur. Catechet. in IV. Luther. Catechet. partem, quæ est de Baptismo, Decad. I. problem. I. Sacramenta autem N. T. orthodoxa Ecclesia nonnisi duo esse contendit, idemque rationibus evincit firmissimis, quas vel recensendo adducere longum foret, imo supervacaneum, cum tam studiose de eadem re a summis Theologis actum fuerit, ut si longiores hic esse nos quoque vellemus, Iliada scripturire post Homerum haud immerito videremur. Quamobrem pro confirmatione Orthodoxæ sententiæ inter Theologorum præcipuos citasse quosdam non postremos hoc loco sufficiet. Vid. D. Gerhardi Confess. Cathol. Lib. II. part. II. Art. XI. cap. III. Ejusdem Loc. Theol. ubi agit de Circumcis. & Agno Paschali cap. IV. Sect. I. D. Hutteri Loc. Commun. Theol. de Sacrament. in genere cap. IV. pag. m. 623. seq. D. Dannhaue-  
E ri

ri Hodosoph. phœnom. X. pag. m. 744. Ejusd. Mysteriosoph. Sect. I. Art. VII. §. 46. pag. 165. &c.

Non contenti autem binario Sacramentorum numero Romanenses, Quinque insuper alia plane *ὑποθέμενα* iisdem annumerarunt: 1. Confirmationem. 2. Pœnitentiam. 3. Extremam unctionem. 4. Ordinem, & 5. Matrimonium. Sic enim Bellarminus Lib. II. de Sacrament. in genere cap. XXIV. *Quantum ad secundum, sententia Catholicorum Una est, ac semper fuit, septem esse proprie dicta Sacramenta.* De quibus Sacramentis Pontificiorum *ὑποθέμενα* quid in genere tenendum sit, vid. apud D. Försterum cit. loc. problem. III. & D. Dannhauer. Hodomor. Pap. Phantasm. X. pag. 446. seq. Nobis h. l. in specie agendi de Sacramento Confirmationis occasio suppeditatur a Bellarmino Lib. II. de Sacrament. Confirmat. cap. VIII. ubi inter alia pro confirmando Confirmationis Sacramento dictum etiam Johanneum: *Vos unctionem habetis, &c.* allegavit. Non autem Elenchum hac vice Sacramenti Confirmationis instituemus fusius, cum satis jam refutatum esse a Theologis nostris arbitremur. Vid. D. Chemnit. Exam. Concil. Trident. part. II. D. Gerhardi Loc. de Circumcis. & Agno Pasch. §. 61. seqq. Ejusd. Confess. Cathol. Lib. II. part. II. Artic. XIII. Et Dispp. Academ. part. III. Disp. XII. pag. 1569. D. Hutter. cit. loc. pag. 625. D. Dannhauer. Mysteriosoph. Sect. III. Artic. I. pag. 520. seq. Ejusd. Hodomor. Pap. Phantaf. X. pag. 455. D. Forster in Libr. cit. loc. cit. ubi post Decad. IV. pecul. Disput. agit de Sacramentis Papistarum spuris. Addatur D. Riveti Catholicus Orthodoxus Tract. III. quæst. IX. Nihil ergo superest amplius aliud, nisi ut *Locum* Apostoli, quem interpretati sumus, a corruptela Bellarmini vindicemus.

Frustra autem eundem a Bellarmino adduci inde satis patet, quod (1) non de Unctione aliqua externa, multo minus de unctione Sacramentali Romanensium, quæ temporibus Apostoli plane fuit incognita; sed de Unctione spirituali interna in hoc Dicto agi, superius in *Capite* Tractationis nostræ tertio §. 10. satis comprobatum fuerit. (2) Nullo poterit e Scriptura S. evidenti Dicto demonstrari, Apostolos chrismate baptizatos unxisse, ut ad spiri-

spiri-

Spiritualement luctam adversus Satanam hac ratione armarentur, multo autem difficilius Apostolos Unctionem Sacramentalem usurpasse ostendetur. Quod adeo manifestum est, ut Pontificiorum plurimi faceri idem cogantur, quorum testimonia diligentissime adduxit D. Gerhardus in Confess. Cathol. Lib. II. part. II. Artic. XIII. Quorsum ergo hunc eo detorquere locum Bellarminus conatus fuit? Forsan, quia non faceret cum Papistarum reliquis, qui probari hoc Sacramentum e Scriptura non posse profitentur. Imo vero nequaquam! Ipsemet enim, postquam citato loco probare e nostro textu Unctionem suam voluerat, mox subjungit: *Efficacius probari ex communi consensu Pontificum, Conciliorum & Patrum*, atque addit: *Tametsi Scriptura testimonia primum locum habent, quando perspicua sunt, tamen, cum ea non sunt ita manifesta, plus momenti habet Ecclesie Auctoritas, &c.* Fatetur igitur, se destitui in hac Quaestione manifestis Scripturae testimoniis. At quomodo Pontificibus & Conciliabulis tantam potestatem, ut instituere etiam Sacramenta valeant, merito concedi & posse & debere demonstrari rationibus satis idoneis poterit? Nos causam efficientem Sacramentorum esse DEum τρισμέγιστον statuimus, cujus solius esse Sacramenta instituere, & τὰ θεολατρικὰ sancire dicimus, nullius vero Angeli, nedum Papæ aut aliorum hominum, quibus τὰ τῷ πνεύματι μωρία, 1. Cor. II, 14. Adeo ut vel hoc documento Papa Romanus, quod vere sit Anti-Christus ille, *sedens in Templo DEi, ostentans se ipsum esse DEum*, 2. Thess. II, 4. satis manifestum dederit, quod Sacramentis, a Christo institutis, alia ipsemet αυτοκρατορία sua Antichristiana adjungat. Quid? Divinis ea institutis æquet. Quid? In sublimiorem dignitatis gradum extollat. Sess. VII. Concil. Trident. Canon. I. & III. Patrum porro Consensum quod concernit, nec ille suppeditare victoriam Bellarmino poterit. Etenim (1) tantam esse Patrum Auctoritatem, ut infallibilitas illis omnino tribuenda veniat, probandum Bellarmino erit. Nos e contrario non standum esse Patrum testimoniis, nisi quatenus cum Scriptura S. convenire eadem deprehendantur, cum erroribus obnoxii alias fuerint, in sequenti Quaestione demonstrabimus. (2) Non pauca Patrum testimonia e Libris supposititiis sunt desumpta. (3) A-

lia non unctiōnem externam, sed internam & spirituales com-  
mendant. (4) Reliqua non unctiōnem Pontificiorum Sacra-  
mentalem confirmant, sed de externo unctiōnis ritu, qui inter  
Adiaphora reliqua in Ecclesia primitiva fuit adhibitus, nulla  
autem parte cum Pontificiorum Confirmatione convenit, lo-  
quuntur. Sicut hæc omnia fusius & ad oculum usque demonstrata  
legi possunt apud D. Chemnit. Exam. Concil. Trident. part. II.  
ubi de Confirmatione agit. Nec non apud Chamier. in Panstrat. Tom.  
IV. Lib. IV. cap. I. Conf. D. Heilbrunnens Uncatholisch Pabst-  
thum Art. XIX. cap. III. Et D. Zeamanni Apologia Artic. ejus-  
dem XIX. part. I. cap. III &c. Ac præ reliquis egregius Dallæi  
Tractat. de Confirmat. ubi Lib. II & III. ad omnia Patrum dicta fu-  
sissime respondit.

Cæterum cum externæ Unctiōnis ritum a veteribus usur-  
patum olim fuisse negari non possit, ( qui qualis fuerit, vid. apud  
Chemnit. cit. loc. pag. m. 254. Et Hunnium LL. CC. de Sacra-  
mentis cap. V. pag. m. 1002. ) temere eundem & immerito e no-  
stris Ecclesiis abrogatum fuisse, objici nobis posset. Enimvero te-  
mere id factum esse & immerito, ostendendum erit. Sicut enim Un-  
ctio olim non aliter ab Ecclesia ac libera Ceremonia ritusque indiffe-  
rens frequentari cœpit, ita retineri etiam & continuari libere potuisset.  
Sed cum Pontificii postea Sacramentum inde per Baptismo, imo  
& superius formarent, Unctiōni illi vim & efficaciam spirituales  
sine promissione divina tribuerent, superstitione eandem administra-  
rent, sub opinione Cultus & Necessitatis Ecclesiæ obtruderent,  
latius fuit ritum *adiaφoρev* tot erroribus, ut sine præsentis ani-  
marum periculo retineri vix posset, obnoxium e medio tollere.  
Non ergo temere damnavit orthodoxa Ecclesia ritus, in primi-  
tiva Ecclesia receptos, sed quibus impietatis plurimum accessit &  
superstitionis, ne libertatem, quam Christus in his adiaphoris  
Ecclesiæ concessit, eripere sibi pateretur, merito abrogavit.  
Quemadmodum autem Salvator noster a Scribis & Phariseis ro-  
gatus, quare discipuli ejus transgrediantur Traditionem Majorum,  
non lavantes manus suas, cum panem manducant, vicissim illos  
interrogat Matth. XV, 3. *Quare & ipsi transgrediantur mandatum Dei*  
*propter*

*propter*

*propter traditiones suas? Ita nos, interrogantibus Romanensibus: Quare non probemus & retineamus omnes illos ritus, ex traditione Majorum descendentes, vicissim quærimus: Quare ipsi propter traditiones suas Mandatum DEi humanis nempe ritibus, quod Sacramentis divinitus institutis in solidum competit, attribuendo transgrediantur? Sed manum de tabula!*

## QVAESTIO II.

*An infallibilem Scripturæ S. interpretationem extra Scripturam reperiri ex hoc loco possit demonstrari?*

Resp. Negando.

CUM Scriptura S. eo præsertim fine hominibus sit tradita, ut ex eadem ad vitam æternam informentur, Joh. V, 39. XX, 31. Rom. XV, 4. 2. Tim. III, 15. Interpretatio ejusdem, ut finis obtineri idem possit, omnino requiritur. Quæ unde desumenda sit, illud vero est, de quo potissimum quæritur. Orthodoxi non nisi illam Scripturæ interpretationem, quæ ex ipsa Scriptura Sacra, adhibitis legitimis bonæ interpretationis mediis, desumitur, pro legitima habendam esse, ac infallibili firmiter statuunt, sententiam illam suam rationibus solidissimis comprobantes, quas fusius adducere hoc loco, cum alibi congestæ legi possint, supervacaneum foret. vid. D. Gerhardi Loc. Theol. de Interpret. Script. S. cap. IV. Ejusdem Tractat. prolix. de quibusdam Articulis, qui Locis Theol. additur, cap. XXV. §. 529. seq. Et Dispp. Ilagog. XI. cap. XVIII. Nec non Confess. Cathol. Lib. II. Artic. I. cap. XIII. pag. m. 223. conf. D. Hutteri LL. CC. ubi de Interpret. Scripturæ agit, quæst. V. Gener. Propos. II. orthodoxa. Riveti Catholicus Orthodoxus Tract. I. quæst. XI. pag. m. 178. seq. Itemque Jacobi Martini Partit. Theol. Disp. XVI. pag. 687. Quibus addatur & Guiliel. Whitakeri Disput. de Script. Interpret. Controv. I. quæst. V. & Franzius de Interpret. Scripturæ. His diligenter inter se collatis, non tantum, *unde desumenda sit legitima Scripturæ S. in-*

E 3

*terpre-*

*interpretatio*, sed &, quibus potissimum mediis, omnibus eo pertinentibus, ut non inferatur in Scripturam S. alienus sensus, sed genuinus, ex eadem eruatur, indagari eadem possit & debeat, evidentissime elucescet.

Orthodoxæ sententiæ a summis Theologis in libris adductis satis confirmatæ, Pontificiorum, *infallibilem Scriptura interpretationem Ecclesie tribuentium*, diluenda a nobis assertio contrariatur. Ecclesiæ autem nomine particularem eamque suam illam Romanam intellectam volunt, infallibilitatem illam Scripturas interpretandi imprimis Papæ, quem totam Ecclesiam virtualiter constituere dicunt, competere communiter statuentes. Vid. D. Gerhardi Loc. Theol. de Interpret. Script. cap. II. seq. Ejusdem Confess. Cathol. Lib. I. part. II. cap. I. Hutteri LL. CC. de Interpret. Script. quæst. V. Gen. Antithetica Propos. I. & II. Nec non nostr. Definit. Theol. Quatern. XXXVII. Definit. I. & rursus Quatern. XXXIX. Definit. II. Et cum his Chamieri Panstrat. Cathol. Lib. III. de Canone Fidei cap. I. seq. *Quæ si conferantur*, non sententias tantum Pontificiorum diligenter congestas, sed &, quid respondendum sit ad Argumenta eorum præcipua, cognoscere licebit. Enimvero nec *Conciliorum Decreta*, a Pontifice præsertim approbata, &, ut loquuntur, autorisata, itemque *unanimem Patrum consensum*, quatenus scilicet & quamdiu Pontificis judicio conformis est, ab infallibilitate eadem excludunt. De illis (scil. *Conciliorum Decretis*) vid. Bellarm. Lib. II. de Concil. cap. II. & Lib. II. de Ecclesia cap. XIV. Et conf. D. Gerhardi Loc. de Ecclesia cap. IX. §. 105. Ejusdem Confess. Cathol. loc. cit. nec non cap. X. Et D. Hulsem. Extens. Breviar. cap. XVIII. cum Supplemento capit. ejusdem. Itemque D. Botfacci Contradiet. Pontif. cap. VI. &c. De his (nempe *Patribus*) vid. Valent. Lib. VIII. cap. VIII. Analys. & Com. III. in Thomam col. 355. 356. Concil. Trident. Sess. IV. Sotus in Defens. Cathol. fidei circa finem. Bellarm. Lib. IV. de Notis Ecclesiæ cap. XIX. Melch. Canus Episcopus Canariensis Lib. VII. Loc. Commun. cap. III. pag. 360. Et conferantur Theologi iterum nostri, imprimis Gerhardi Confess. Cathol. Lib. I. part. II. cap. I. & XIII. &c. Cum Pontificiis autem, imprimis quod ad infallibilitatem Patrum attinet,

net, etiam Doctores Pseudo-Evangelicos facere e Scriptis eorum constat. Nos rationes præcipuas, fusissime a Theologis orthodoxis passim in locis etiam citatis pertractatas, in compendium redigentes, erroneam labefactare sententiam conabimur. Et quidem

I. Absolutam Papæ infallibilitatem merito in dubium vocamus, quod (1) nequeat evidenti aliquo Scripturæ Dicto confirmari. Quando de Pontificis Romani potestate & infallibilitate agitur, de Summa rei Christianæ agi, scribit Bellarminus in Præfat. Libr. de Rom. Pontif. Sed hæc Summa rei Christianæ debebat claris & perspicuis Scripturæ testimoniis stabiliri, ut fide indubitata possit credi. Afferunt quidem aliqua Scripturæ dicta, sed in nullo eorum expressa sit Episcopi Romani mentio: quædam enim de Pontifice Vet. Test. quædam de Petro loquuntur. Sed quis me in conscientia certum reddat & immotum, a Pontifice Vet. Test. & a Petro ad Papam legitime procedi? Quæ potest ex Scripturis dari ratio, quod, cum Petrus non solum Romæ, sed etiam Antiochiæ Episcopus ordinaverit, tamen successionem cum infallibilitatis privilegio conjunctam Romanæ duntaxat Cathedræ alligaverit? Bellarminus ipsemet ingenue fatetur Lib. II. de Pontif. cap. XII. §. Observandum: *Romanum Pontificem succedere Petro, non habetur expresse in Scripturis, &c.* (2) Quod ipsi Pontificii nondum sint certi de hac Pontificis sui infallibilitate, vid. D. Gerhardi Confess. Cathol. lib. I. part. II. cap. II. (3) Quod errandi periculo obnoxius sit, cum nec Propheta sit, neque Apostolus. (4) Quod errores gravissimos ex ipsa etiam cathedra, ut loquuntur, canonizaverit. vid. Gerhard. cit. loc. pag. m. 223. etiam in ipsamet Scripturæ S. interpretatione, uti e Jure Canonico, Tomis Conciliorum, & Decretalibus Epistolis satis patet. vid. Wilhel. Nigr. Tractat. de Contemptu Scripturæ Papistico pag. 605. seq. (5) Quod possit fieri hæreticus. vid. Gerhard. rursus loco ante citato. (6) Quod gravissimis sceleribus ad utramvis aurem sit immerfus, (uti Historiæ omnium ætatum satis testantur, quas hic vel adducere longum foret,) ex quo apparet, ne quidem communem Spiritus S. donorum mensuram, nedum Propheticum privilegium

gium

gium ipsum accepisse. Denique si Pontifex Romanus pro infallibili Scripturæ Interprete habendus est, cur, obsecro, opus erit, ipsos Romanenses in Patrum Libris evolvendis & Conciliis congregandis tantum laboris, sumptus, temporis deperdere? Per plura enim fieri non debet, quod fieri potest per pauciora. Quid? quod ipse Pontifex pessime consulat suæ Ecclesiæ, qui, cum tot jam seculis veram totius Scripturæ interpretationem tradere, & omnes falsas *diavolas*, quarum infinitæ inter ipsos Doctores Pontificios existunt, tollere potuisset, hæctenus tamen hoc beneficii in suam conferre Ecclesiam noluit. Missò igitur Pontifice Romano devenimus

II. *Ad Concilia*, quorum Autoritatem, equidem nequaquam vilipendimus, nec Ecclesiastica Judicia subterfugimus, ut falso nos accusat Bellarminus in Præfat. Libr. de Concil. sed cum Augustino potius fatemur Epist. CXVIII. *Conciliarum in Ecclesia Dei saluberrimam Autoritatem esse*; attamen absolutam infallibilitatem illis quoque merito denegamus. Observandum autem ante omnia, non loqui nos de Prophetis & Apostolicis Conciliis, quæ absolutæ esse infallibilitatis non diffitemur, sed de solis Ecclesiasticis, sive Oecumenica sive Particularia appellentur, nostram assertionem sequentibus rationibus comprobantes. Quoniam (1) qui extra Concilium erroribus sunt obnoxii, in ipso Concilio congregati tales manent. Sed Ecclesiæ Doctores extra Concilium sunt erroribus obnoxii & errant, nisi Scripturam, velut Ducem & Lucem, unice sequantur, Esa. L, 10. Jerem. IV, 9. VI, 13. XIV, 14. Ezech. VII, 26. XXII, 25. Ose. IX, 8. Mich. III, 6. Malach. II, 8. Matth. XXIV, 24. Act. XX, 29. 2. Thessal. II, 4. 2. Petr. II, 1. (2) Exempla in Scripturis annotata testantur, Ecclesiæ Doctores congregatos errasse, 1. Reg. XXII, 23. Jerem. XXVI, 8. Joh. IX, 27. seq. XI, 53. Matth. XXVI, 3. & 66. XXVII, 64. &c. (3) In Historia etiam Ecclesiastica multa exempla annotata extant Conciliorum, quæ in rebus fidei gravissime errarunt. Quæ vid. apud D. Botlacum loc. superius cit. in Libello nempe de Contradict. Pontif. cap. VI §. præsertim 6. (4) Episcoporum, etiam in Conciliis congregatorum, scientia & renovatio est imperfecta, 1. Cor. XIII, 9. 2. Cor. IV, 16. Er-

go



go ut peccare, ita errare quoque possunt, nisi scilicet peculiare habeant non errandi privilegium, sicut Prophetæ olim & Apostoli: At ejusmodi privilegio destituuntur. E quibus & similibus rationibus iudicium Episcoporum, non *αὐτοκράτορικόν* & *αὐτόπιστον*; sed Scripturæ iudicio subiectum, non magisteriale, sed ministeriale esse elucescit.

Denique III. *Nec unanimum*, quem appellant, *Patrum consensum* gaudere infallibilitatis ejusdem privilegio contendimus. Quantumvis enim nequaquam rejiciamus Patrum scripta, nec studium illud, quod lectioni Patrum impenditur, suo carere commodo dicamus: interim tamen dicta Patrum Oraculis Spiritus S. in Prophetis & Apostolicis scriptis Ecclesiæ propositis, nequaquam esse adæquanda statuimus. Testes sunt veritatis cœlestis, non absoluti summi & authentici Judices, Lumina sunt, non Numina. Quamobrem sententias etiam illorum, ad amissam Scripturæ S. examinandas, non vero pro infallibilibus recipiendas esse, merito asserimus. Frustra igitur unanimum Patrum consensum urgeri, eumque pro infallibili interpretationis Scripturæ Regula haberi, patet ex sequentibus Argumentis: (1) Enim consensus ille Patrum in Scripturis infallibiliter exponendis verbis potius jactatur, quam re ipsa ostenditur. Ostendant Adversarii, si viri sunt, non dicam Scripturæ totius, nec libri cujusdam e Scripturis, sed capitis tantum unius infallibilem ex *unanimi Patrum consensu* petitam interpretationem. Inprimis Pseudo-Evangelici, si non tam jactarent infallibilem e Patribus Scripturæ interpretationem, quam ostenderent, operam procul dubio multo utiliore, quam quod hæterodoxis suis scriptis & multis & satis grandibus plus detrimenti adferant quam commodi, præstarent. (2) Patrum scripta non semper in Ecclesia extiterunt, adeoque nec semper esse Scripturæ interpretandæ Regula potuerunt: etenim Regula semper ut sit una eaque certa, firma, invariabilis, requiritur. (3) Errori ut homines obnoxii fuere. (4) Sibi ipsis absolutam infallibilitatem derogant. (5) Ipso facto sæpius, etiam plerique, etiam in Scriptura interpretanda errarunt. (6) Non omnium, qui docuerunt & scripserunt, monumenta extant, ut de universali & integro consensu certo constare possit. (7) Ex illis, quæ habentur, plurima sunt adulterina & supposititia. (8) Non ab omni-

mnibus, qui sensum Scripturæ indagare debent, omnia evolvi possunt. (9) Scripta sua iudicio Spiritus S. in Scripturis loquentis, ipsi submitunt. (10) Ab ipsis Pontificiis in exponenda Scriptura S. sæpius præmittuntur, erroris accusantur, rejiciuntur. Quæ omnia fusissime deducta videantur apud Gerhard. loc. superius cit. Confess. Cathol. Lib. I. part. II. cap. III. ut & in ejusdem Loc. Theol. de Interpret. Script. cap. V. conf. D. Hutteri Loc. Commun. Theol. de Interpret. Script. part. II. Antithet. Propos. I. Jesuit. m. pag. 59. Itemque D. Brochm. Veritat. Pontif. Special. cap. I. Sect. 1. Quin & Dallæi eximius Tractat. de Usu Patrum. Nec non Riveti Tractat. de Authorit. Patrum Tom. II. Opp. Ejusdemque Catholicus Orthod. Tractat. I. quæst. II. pag. m. 185. seq. & Whitakerus contra Duræum Tom. VI. Rupellensi Lib. VI. pag. m. 392. seq. Quibus addatur, quod ad rationem imprimis ultimam attinet, D. Botfacci Libr. de Contradict. Pontif. cap. V.

Postquam ergo, quid habendum sit de Heterodoxorum sententia, paucis declaravimus, tandem quoque subterfugium, quod in dicto Johanneo, a nobis exposito, quærere solent, adimendum illis erit. Inter alia enim Scripturæ S. loca, quæ pro confirmatione erroris sui, quando Ecclesiam supra Scripturam evehunt, uti Autoritatem omnem, ita infallibilem quoque Scripturæ interpretationem ab Ecclesia dependere asserentes, falso allegant, hoc quoque dictum a Jesuita Costero ad eundem scopum applicatur, cum ait Apostolus: *Unctionem habetis a Sancto illo, & nostis omnia.* Unde colligit Jesuita, Ecclesiæ immediate a Spiritu S. inspiratum esse, quid de Scripturarum intellectu statuere debeat. Verum enimvero quis falsitatem consequentiæ non animadvertat protinus? Quæ enim, obsecro, inscitia est, quod nescire velit Jesuita, quæ & qualis, cujus Apostolus h. l. meminit, sit unctio? Quæ vero est malitia pariter, quod donum hoc Unctionis ad solam suam Ecclesiam Romanam restringat. Non de arcana aliqua inspiratione, extra Scripturas Pontifici facta, sed de illuminatione Spiritus S. & quidem omnibus fidelibus communi agere h. l. Johannem, vel inde patet, quod non solum Clericos, nedum Pontificem Romanum, qui tum temporis in rerum natura nondum erat, sed omnes fideles alloquens: *Vos, inquit, Unctionem habetis,*

*betis,*

betis, &c. uti in Tractatione ipsa §. 19. ostensum. Jam si fidelibus omnibus isthæc Unctio competit, utique etiam omnibus summum illud Jus in Scripturas Sanctas competet: dummodo unctio illa, prout Jesuitæ volunt, talem aliquam Autoritatem denotet. At vero cum absurdum hoc esse & falsum, ipsi negare Adversarii non possint, erroneam quoque esse collectionem, quam pro stabilienda Autoritate Ecclesiæ supra scripturas ex Unctione ista exstruere conantur, ipsis tandem licebit animadvertere. Et sane ignoravit Collectionem istam Jesuiticam pia Antiquitas, uti ex testimoniis superius, §. II. adductis, imprimis autem Augustini verbis patet, Tractat. III. in Epist. Johannis, Dictum Apostoli hunc in modum exponentis: *Unctio vos docet omnia. Quid ergo nos faciamus, Fratres, qui docemus vos, si unctio ejus docet vos de omnibus? Videte magnum mysterium, Fratres, sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est. Quantum ad me attinet, omnibus locutus sum: sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus S. intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adjutoria quedam sunt, & admonitiones: Cathedram in cælo habet, qui corda docet.* Hactenus Augustinus. Qui unctionem istam de illuminatione Spiritus S. omnibus fidelibus communi, interpretatur, & unctionem hanc promanare dicit non ab homine, non ab eo etiam, cujus Romæ sit Cathedra vel in terris hisce, sed in cælo, h. e. a Spiritu S. in cujusvis pii corde efficaciter hanc unctionem exercente.

### QVÆSTIO III.

*An Ministerium verbi per hoc Dictum tollatur? Resp. Negando.*

**Q**uamvis Spiritus Sanctus extraordinarie nonnunquam mentes hominum ἀμείσως illuminet, uti factum est in Prophetis olim & Apostolis, qui immediato ejus impulsu & illuminatione gavisi sunt, & cum infantulis etiam Parentum fidelium, qui, precibus Deo commendati, vel in utero ante partum, vel in partu ipso mor-

te præveniuntur, adeoque ab ordinario fidei medio & lavacro regenerationis excluduntur, comparatum est, ut immediate fidem in iisdem accendat Spiritus S. Ordinarie tamen Spiritum S. non nisi *ἀμέσως*, nempe per verbum DEi, publica Ministerii voce prædicatum, ( id quod de verbo etiam scripto & lecto tenendum est, ) ad salutem æternam homines informare, constans Orthodoxorum & fundata in Scriptura S. est assertio. Cujus confirmationem tum LL. CC. *Scriptores*, atque hos inter præcipue Gerhardus Loc. de Ministerio Ecclesiastico cap. in primis VI. ubi de *fine & effectu* ejusdem agit; tum *Commentatores* in Augustan. Confess. Artic. V. quorum vel recensere nomina longum foret; illi denique, qui contra Anabaptistas & Fanaticos atque Enthusiastos alios scripsere, ( ex quibus præcipuos in Pædia sua Theologica denominavit Dn. D. Calovius pag. 290. seq. ) satis superque exæquarunt.

Orthodoxæ sententiæ contradicunt, qui illuminationem quidem Spiritus S. ad percipiendam cœlestem veritatem & procreandam fidem necessariam esse concedunt, at mediate per Ministerium verbi Spiritum Sanctum in nobis operari, hoc est, quod totis viribus negatum ac impugnatum eunt. Contra vero *ἀμέσως* seu immediate absque Ministerio verbi per Revelationes cordis internas, Enthusiasmos, afflatus divinos, colloquia Angelica, illuminationes momentaneas, & quidem in Sabbathico silentio, in angulis & locis secretis a Spiritu S. in nobis secreto perfici manibus pedibusque dimicant. Lectionem verbi omnem, Conciones item omnes frustraneas esse & otiosas clamitant, imo sonum vacuum, in templis lapideis manentem, vocem humanam & literam, in qua nulla divina virtus, & quæ sunt similia, impie blasphemant. Atque ita non olim tantum genus Fanaticorum quoddam sensit, qui superioribus sæculis zizania errorum suorum disseminarunt, quales tempore Basilii, Nazianzeni, Ambrosii, IV. post Christum natum Sæculo, fuerunt Mesaliani, ( vide Funccium Lib. VII. Chronol. Anno Christi 731. ) qui & Euchitæ, Enthusiastæ, Psalliani dicti sunt. ( vid. Hist. Magdeburg. Cent. IV. pag. 387. ) Quibus conformes Euphemitæ fuerunt, ( ibid. pag. 389. ) alias Martyriani & Sathaniani vocati. Tempore item B. Lutheri Carlstadius, Thomas Münzerus, Anabaptistæ, quorum dogma-

dogma-

dogmata hinc inde Operibus suis recenset & refutat. Nec minus Caspar Schvvenckfeldius, qui solo Spiritu contentos nos esse debere; vocale autem Verbum, tanquam occidentem literam, rejiciendum esse, impie asseruit. Adhuc recentius Valent. Weigelius, Ezechiel Meth, Esaias Stifelius, &c. In quorum censum referendi etiam sunt novi nostri Seculi Prophetæ, Quackeri, Fanatici denique, & Enthusiastæ alii. Sed & hodie malum illud in Ecclesia non tam serpit, quam magna hinc inde incrementa sumpsit in populosis præsertim civitatibus, in quibus Satanas venenum istud cum multorum æternæ dispendio salutis disperfit. Hi igitur omnes pessimo illo fundamento semel jacto, *αἰετός nos illuminari*, si salvari velimus, oportere; Scripturas deinde Sacras (dicit tantum causa, ut Christiani videantur, allegatas) ad præconceptas opiniones suas impie detorquent, misere dementati & fascino quodam detenti Spiritibus malignis, omnia a DEo esse credunt, quæ cogitant & loquuntur, tamque alte impressa hæc menti *ψευδονομία*, ut difficillime ad saniolem reduci sententiam possint. Hinc ministerii publici, a DEo instituti, contemptus oritur & execratio, quod proprium (ut sic loquar) in quarto modo Fanaticorum istiusmodi & Dementatorum est.

Inter alia autem Scripturæ Dicta, quibus palliare fœdissimum hunc errorem suum Fanatici conantur, non postremo loco allegant dictum, quod exposuimus, Johanneum: *Vos unctionem habetis a Sancto illo, & nostis omnia*. Ergo (concludunt) *Externum verbi ministerium non est necessarium*. Etenim vero, nullam esse in Argumento consequentiam, cum subordinata sibi invicem opponantur, quis non animadvertit? Siquidem illi per unctionem hanc intelligi immediatam Spiritus S. illuminationem debere somniant, nos e contrario mediate per ministerium verbi operari Spiritum S. ex Scriptura Sacra contendimus. Cui sententiæ tantum abest, ut contradicat vel hoc ipsum Dictum, ut probet eandem potius & confirmet. Neque enim absolute & universaliter verba hæc, itemque quæ *vers. 27.* sequuntur, ubi ait Apostolus: *Non necesse est, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio docet vos de omnibus, ita verum est*, intelligenda veniunt, quasi temporibus N. T. nulli hominum sit necessarium a quoquam doceri,

id enim Scripturæ Sacræ & praxi Apostolorum penitus contrariare-  
 tur: Imo, quid in ipsa hac Epistola agit Apostolus aliud, quam ut  
 scribendo jubens: *Ille maneat in eo, quod audiverunt ab initio*, vers.  
 24. docendoque erudiat illos, quos alloquitur, ac confirmet? sed  
*secundum quid & comparate*, (1) Quod illi, qui ab Apostolis de neces-  
 sariis cœlestis doctrinæ capitibus jam satis instituti, & Unctione  
 Spiritus Sancti divinitus imbuti erant, non indigeant nova seducto-  
 rum informatione, ut novum scil. aliquid audiant ab iisdem & ad-  
 dilcant, quæ interpretatio e vers. 21. 25. 27. nullo colligi negotio  
 potest. (2) Quod non opus habeant, ut quis in erudiendis illis  
 & de cœlesti veritate persuadendis anxius labore, cum per Spiritum  
 S. internum Doctorem, quem tamen per prædicationem Ev-  
 angelii acceperunt, Gal. III, instituantur. (3) Quod Spiritus  
 S. magisterio erudiantur in actionibus particularibus, ut cognoscant,  
 quomodo recte se gerere in omnibus debeant: interim tamen norma  
 & regula generalis actionum omnium est & manet Verbum DEi,  
 cujus meditatione Lux cognitionis illius illustrior redditur quotidie,  
 atque adaugetur. Ex quibus omnibus quam parum Fanatici pro  
 stabiliendis Enthusiasmis suis hoc loco inveniant præsidii, adeo ma-  
 nifestum puto, ut nisi deceptos se animadvertant, helleboro potius,  
 quam rationibus ad sanioerem mentem reducendos eosdem esse sta-  
 tui haud immerito possit. Atque his ita adductis, nihil jam su-  
 peresse amplius videtur, nisi ut Gratias DEO TER OPTIMO  
 MAXIMO pro Spiritus S. assistentia devoto animo persolventes,  
 Paulina præsentem Dissertatiunculam Δοξολογία obfignemus;

Ἐξ ἑ, καὶ δι ἑ, καὶ εἰς ὃν τὰ πάντα  
 αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τὸς αἰῶνας,  
 ἀμήν.



coll. diss. A. 118, Misc. 6